This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Sp 26.946

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 18 Oct. 1901.

Observationes

in

T. Macci Plauti Epidicum.

Scripsit

Karl
Carolus Schredinger.

Programm der kgl. Studienanstalt zu Münnerstadt

für das

Schuljahr 1883/84.

Schweinfurt.

Druck von Fr. J. Reichardt.

1884.

Sp 26.946
HARVARD COLLEGE
OCT. 18 1901
LIBRARY.
Constantius fund

55

Inter omnes T. Macci Plauti fabulas, quae aetatem tulerunt, quattuordecim a Varrone cum ipso poetae nomine aut adscripto aut ex sententiarum ordine substituendo[1]) exhiberi *Ritschelius* clarissimus Plauti sospitator in libro illo eleganter conscripto *,Die fabulae Varronianae'* (vid. Parergon Plautinorum Terentianorumque vol. I pag. 73 sqq.) exposuit. Omittit quidem Varro fabularum quarundam in eisque Epidici inscriptionės. Sed quum haud difficile sit unumquemque locum in Plauti fabulis indagare comoediaeque nomen, ex qua relatus est ille, apponere, id unum quidem constat XIV illas a Varrone Plautinas habitas esse. In his igitur locis hoc quoque a Varrone in lib. d. l. l. V § 131 scriptum invenimus: *,alterum quod intus, a quo intusium, id quod Plautus: intusiatam ac crocotulam'*. Quae verba quum ex Epidico (v. 231 *Gz.*) fluxerint, quod primus non *R. Müllerus* in dissertatione *,De Plauti Epidico'* (cf. *Goetz* in ed. Epid. pag. 34) sed iam pridem *O. Ferrarius* in l. *,De re vestiaria'* observavit (part. I pag. 240; vid. praeterea *G. Ad. Beckeri ,Gallus'* ed alt. a Reinio a. MDCCCXL cur. tom. III pag. 118 et 139), primum positum sit Varroni Epidicum Plautinam esse visam.[2])

Atqui in eo acquiescere non licet; etiamsi enim clarissimi illius grammatici auctoritati atque studiis, in quibus sine dubio non solum priorum scriptorum libris, sed etiam commentariis magistratuum quum censorum tum aedilium et praetorum urbanorum adiuvabatur,[3]) quam maximam fidem habemus, tamen scrupulus non neglegendus videtur, quem *Ritschelius* nobis inicit, quum ne temere Varronis iudicio

annuamus nos monet scribens (parerg. pag. 116 sqq.): ‚Ist aber dieser[4]) der Sinn der Varronianischen Bemerkung, wie er es in der Erwägung aller Verhältnisse sein muss, so ist begreiflicher Weise die Möglichkeit nicht ausgeschlossen, dass auch die Einstimmigkeit aller Vorgänger trügerisch war, indem sich...... in die sämmtlichen Verzeichnisse (von einem ersten Irrthum her, der sich dann unberechtigt weiterpflanzte) ein oder das andere Stück eingeschlichen hatte, welches dennoch nicht von Plautus war.......‘ et quae pag. 117 sequuntur: ‚unsere heutige Forschung kann sich also in dieser Beziehung durch die varronische Kritik nicht behindert fühlen.‘ Ponderandum potius erit, nonne argumenta ex ipsis visceribus fabulae depromentes Varronis iudicio certiorem fidem addere queamus. Quae quum imprimis in compositione posita sint, benigne, quaesumus, iudicet aestimator huius libelli nobis ante omnia fabulam adumbrare instituentibus.

I, 1 (v. 1—103) Epidicus servus Thesprionem conservum Stratippoclisque adulescentis armigerum offendit illumque e bello Thebis Athenas revertisse comperit simulque amicam pecunia mutuo sumpta emisse, quod permoleste fert, quia et ipse pro hero absente aliam servam ab eo valde dilectam liberavit Periphanem ipsius Stratippoclis patrem argento emungens, quum pro Telestide filia eius e concubina nata neque unquam adhuc spectata, tunc autem iam aliquamdiu a sene quaesita Acropolistidem quandam fidicinam illius argento paratam supposuit. Thesprio abit, Epidicus verbis persequitur calamitates, quae e Stratippoclis inconstantia sibi metuendae sint.

I, 2 (v. 104—165) Adulescens cum Chaeribulo sodali in scenam prodit maerore confectus, quod unde pecuniam pro recenti amica solvendam promat plane ignorat: nam ne amico quidem argentum praesto est. Recordatus autem auxilii in Epidico ante inventi tunc quoque eum adire statuit, quo audito servus ab illis adhuc nondum conspectus procedit et post altercationem admodum asperam iuvenem desperantem se servaturum esse promittit. Quid autem de priore puella agendum sit, in transitu commemoratur.

II, 1—3 (v. 166—319) Periphanes senex cum Apoecide amico inducitur inter alia prioris Stratippoclis amoris mentionem faciente, cuius fama tunc modo ad aures eius pervenit: contra quos Epidicus Chaeribuli aedibus egressus fallacem pugnam committit, quum ubique se illos quaerere simulat, ut Stratippoclem postero die venturum nuntiet: ex duabus enim puellis se comperisse iuvenem amicae liberandae causa argentum a feneratore sumpsisse: suadere, ut filio quam citissime uxorem destinent, servam illam — adhuc in feneratoris ditione versantem cf. v. 110, 627 sqq. — praemercantes tollant: Rhodium militem quendam libenter eam empturum. Unum cavendum esse, ne Periphanes ipse servam solvens de consiliis suis lenoni — apud quem amicam Athenis esse fraudis causa mentitur, cf. q. sqq. — suspicionem moveat. Probato consilio emptio Apoecidi ita committitur, ut Epidicus post senem aliis modo rebus occupatum argentum in forum ferat. Denique v. 306 sqq. cantico percurrit versutus servus, quomodo senes de puella decepturus sit.

III, 1—2 (v. 320—381) Stratippocli Chaeribulum ob argenti penuriam exprobranti Epidicus cum pleno marsupio domo Periphanis egressus quae iam peracta, quae deinceps agenda sint, indicat: lenonem, a quo ante tres dies priorem illam fidicinam mercatus sit, se docturum, ut, si quis roget, num pro puella argentum acceperit, hoc annuat; emptione ita simulata senibus fidicinam conductam pro praemercanda puella suppositurum, filio veram amicam e feneratoris manu soluturum.

IV, 1 (= III, 3 *Gz.*, v. 382—432). Epidico omnia belle cecidisse Apoecidis reversi verbis discimus, qui conductam illam fidicinam magna cum laude servi pro praemercanda amica Periphani tradit ob eamque rem ab hoc eximie praedicatur, dum ipse puella in aedibus conclusa ad amici cuiuslibet causam agendam in forum abit.

IV, 2 (= III, 4 *Gz.*, v. 433—525). Grandiloquus ille miles Rhodius, alias Euboicus advenit Acropolistidem amicam empturus. Quod autem haec sub Telestidis filiae nomine in

senis domo versatur, hic alteram fidicinam sibi modo traditam a bellatore sub Acropolistidis nomine quaeri opinans hanc educi iubet, quo fit, ut secunda Epidici fraus quum militis suspitione tum fidicinae professione aperiatur. Abeunt, ille amicam ‚ubiubi‘ sit indagatum, haec turpiter tractata ab irato sene, qui aliorum stultitia propriam excusans se consolatur.

IV, 3—4 (= IV, 1—2 *Gx.*, v. 526—606). Adventu Philippae captam filiam investigantis, cuius ut amatae quondam puellae matrisque Telestidis iam antea breviter mentio facta est (v. 168), etiam prius servi delictum detegitur, quum Telestidem (falsam) matri ex aedibus adductam non filiam esse, sed dolosam quamlibet lupam Periphanis pecunia liberatam patefit. Auctori fraudis nimirum acerrime succensens senex relictis rebus quaerendo ei operam dat, postquam mulieres in aedes misit.

V, 1 (v. 607—665). Epidico cruciatum necessario imminentem Stratippocli denuntiante — vidit enim Periphanem lora ementem — fenerator ab illo iamdudum desideratus cum puella amata venit, quam servus veram Telestidem esse agnoscit et iuvene pecuniae promendae causa intus digresso quae opus sint, edocet. Argento soluto Stratippocles pro amica perdite amata sororem se liberasse non sine dolore comperit eamque curatum in Periphanis aedes abit subsequente Epidico, qui fortuna subito mutata ad priorem audaciam celeriter se revocat senesque iratos exspectare statuit.

V, 2 (v. 666—733). Redeunt irrita investigandi opera Periphanes vehementissime percitus, Apoecides adeo fessus, ut a servo porro quaerendo abhorreat. Dum igitur senes consilii expertes altercantur, Epidicus filiae in tempore inventae confisus prodit et innocentissimi hominis speciem prae se ferens, ut vinctus a senibus audiatur, flagitat, qui fiducia eius obstupefacti dolum suspicantur et aegre petenti morem gerunt. Tum vero servus festiva cum petulantia quaerenti seni duplicem fraudem sine anfractu confessus contumelias verborum adeo non perfert, ut v. 711 sqq. aperte libertatem poscat,

quam cur meruerit, Periphanes ipse domum ingressus iudicet! Et vixdum profecto Epidicus Apoecidem remanentem edocuit Telestidem se repperisse, quum ille laetus recurrit servoque insolentia exsultanti non solum libertatem donat victumque promittit, sed etiam iniuriae veniam petit: tunc demum manus solvendas porrigit novus libertus, ‚qui libertatem malitia invenit sua.'

Hoc igitur argumentum ita dispositum homines docti recensuerunt et magnam partem probaverunt:[5]) optimo iure, si quid videmus. Quamquam enim satis implicitum est spectantiumque animi non nisi summa attentione singularum rerum causas pernoscere possunt simulque percipere, quo modo unaquaeque earum universo proposito serviat, quo poeta ingeniosi servi malitiam fallacem mala periculorum mole urgeri, tum libertate donari voluit, tamen omnia id unum spectant, ut servus herili filio fidus ex omnibus malis superior evadat. Ita neque duplici amore Stratippocles neque Telestis postremo inventa per se ipsi spectantium animos tenere student, quod *K. H. Weisius* quidem opinatur *triplicem* argumenti causam observans et unum scilicet adulescentis amorem, unam Epidici fraudem, filiam omnino nullam concedens (vid. ‚Die Komoedien d. Pl.', kritisch.... beleuchtet von *K. H. Weise,* Quedlinburg 1866 p. 99); immo consilia omnia atque facta ad *unum* idemque studium relata videntur, quo poeta non tam mores ad vitae imaginem depingere quam probandae atque docendae sententiae universae causa rem media e vita communi petitam uberius tractare voluit; qualis sententia in Enni dicto ‚fortes fortuna iuvat' manifesto apparet.[6]) Perdifficile sane est tenorem rerum sequi saepiusque legi vult fabula, ut penitus intellegatur: sed minime hanc ob rem poeta vituperetur. Quotusquisque est, cui lingua Latina eaque prisca illa Plautini temporis adeo in sucum et sanguinem transierit, ut quamlibet fabulam sine haesitatione tanta cum voluptate legere possit, quanta veteres Romani eam in ludorum iucunditate quasi vivam spectabant et oculis auribusque percipiebant? Non dubitamus hercle, quin omnes illae lepidae fabellae, quas recentiores quidam critici tot saeculis ad alias

vivendi cogitandique rationes producti legibusque strictioribus artis scenicae assueti ad vivum resecare atque adeo magno illi auctori abiudicare student, multum profecturae sint, si aliquo modo perfici possit, ut eleganter translatae in pulpita revocentur et ita eo iudicio aestimentur, quod unum priscis illis temporibus poetis de operibus suis respiciendum erat. Tum vero, si non legerentur solum comoediae, sed etiam spectarentur, aequius etiam omnes ei loci recenserentur, qui non in Epidico tantum tam numerosi criticos nunc offendunt, quoniam ita fieri non possit, quin appareat multas eiusmodi maculas — si quidem sunt — tam levidenses esse, ut aestimantem quidem laedere queant, spectantes plane fallant.[7]) Neque tamen hac sententia ita abutemur, ut argumentatione facili modo supersedeamus, immo Plauto Epidicum, qualis nunc est, abrogare non dubitabimus, si quaestione, quam modo instituturi sumus, aut vitia rerum perspicuitati obstrepere aut personarum mores, sermonem, facetias prae ceteris comoediarum Plautinarum tam insigni poeta indigna esse evincatur.

Multa profecto in fabula, de qua agitur, sunt reprehensa, quae hominum doctorum ei, qui erant benigniores, ad contaminationem claudicantem vel retractationem interpolationemve referebant, qui acriores, simpliciter fabulam subditivam prodere dicebant. Rem igitur ita persequemur, ut primum ad contaminationis, quam volunt, tunc interpolationis retractationisque vestigia, quoad contextum argumenti turbare videntur, propius accedamus, denique compositione ita perpensa de personis sermone facetiis generatim atque universe, quantum opus erit, locuti ex ipsa ratione fabulam aestimare conemur.

De Epidici fabulae contaminatione.

Ut v. 719—20 praetermittamus, de quibus iam *Reinhardtus* omnes scrupulos sustulit,[8]) affert illis, qui contaminationem eamque laxam invenisse sibi videntur, imprimis offensionem discrepantia illa v. **153** et **300**, qua miles modo Euboicus modo Rhodius appellatur.[9]) Liceat quidem hanc

nominum varietatem cum *Gepperto* (in Plaut. stud. vol. I pag. 66) levi poetae neglegentiae eo libentius tribuere, quo facilius eam spectantes prorsus fugisse nemo negabit (cf. etiam *Goetzium* in Act. soc. phil. Lips. VI p. 287); sed felicius, ut arbitramur, poetae subveniemus, si omnem neglegentiae cogitationem repellere conabimur. Audiverat Epidicus quoquo modo aliquem militem Acropolistidem fidicinam sibi emere velle: studens igitur verbis suis maiorem vim addere Stratippoclisque curas utique levare simulat se certius de bellatore compertum habere, quum *Euboicum* eum nominat, nulla scilicet cognitione innixus; eadem de causa apud Periphanem quoque militis patriam fingit repentinoque invento *Rhodium* eum appellat: iamdudum enim fortasse oblitus est se apud adulescentem Euboicum dixisse, quod in re tam levis momenti facillime evenire poterat. Ita gravici servi expeditam malitiam etiam in minimis rebus sentimus et tantum abest, ut poetam ob levitatem perstringamus, ut bono consilio rem ita eum instituisse arbitremur.[10])

Secundo loco ponimus v. **166 sqq.**, quemadmodum doctorum ingenia vexaverint, quorum *Ladewigius* (in *Zimmermanni* Diurn. ant. stud. a. 1841 p. 1079 sqq.) et *Weisius* l. s. s. similia monuerunt: ineptum esse senes de nuptiis agere, quae postea ne coram Philippa quidem amplius commemorarentur (cf. v. 526 sqq.); iam v. 190 subito de re a priore sermone alienissima illos disserere, quare totam scenam ita quidem ferri non posse, neque dubitat ille hac offensione ad contaminationem evincendam uti. *Langrehrius* vero in Miscell. philol. Gotting. 1876 p. 10 sqq. et ipse contaminatam Epidicum effecturus in scena priore act. II consilia senum eorumque commutationes significari censet, quum primum Periphanem consilium Philippae ducendae cepisse et cum Apoecide communicasse suspiceris, postea autem nuptias ipse recuset, alter cohortetur: harum rerum per totam fabulam nullum iam apparere vestigium. Accedere quod item Stratippoclis nuptiae adornentur et praeparentur, sed neutrae perficiantur, nec minus incuriam adulescentis offensionem habere, qua v. 362 periculum nuptiarum accipiat: ex omnibus his

causis has fabulae partes ‚consulto sed non satis prospere repressas esse' iudicat.

Quas in sententias si inquirimus, ante omnia non est, cur Stratippoclis Periphanisque nuptias confundamus. Illis enim ab Apoecide commendatis (v. 189) Periphanique probatis poeta id unum spectat, ut Epidico senibus subauscultanti certum aliquid fundamentum iaciat, cui insistens fraudem pangere possit; ita vero servus inducitur ad patri callide suadendum, ut filio uxorem arbitrans amicam praemercetur (cf. v. 267 sqq.). Ut igitur Stratippoclis nuptiarum commemoratione magna cum arte sermoni intexta poeta nihil aliud voluisse videtur quam ut spectantibus servi ingenium significaret, quo celerrime hic quasi coram ipsorum oculis fraudis instituendae rationem percipit (v. 192 sqq.), ita non intellegimus, cur nuptias postea ratas desideremus. Quid enim? Probat pater Apoecidis consilium, dum adulescentem fidicinae obnoxium censet: postea autem quum inventa filia filioque recepto rerum ordinem perspexit simulque ardorem illum ab Acropolistide incensum iamdudum refrixisse audivit — id quod per se maxime probabile videatur, — iam nullam habet causam illius consilii porro urgendi, sive fidicinam in aedibus manere sive militi digresso (v. 492) adduci mavis. Altera illa *Langrehri* de adulescentis incuria haesitatio versibus ipsis 362—63 manifesto repellitur, quippequibus ille confirmet eiusmodi consilio se nunquam sese submissurum, dum amica secum adducta inter vivos versetur; quid igitur patris rationem aut destinatae uxoris nomen rogitet? — De Stratippoclis nuptiis haec hactenus; iam de Periphane nonnulla sunt dicenda. Initio act. II Periphanes Apoecidesque senes sermocinantes prodeunt, quum hic illum admonet, ne matrimonium cum priore amica, matre filiae domi versantis, ipsi optatum pudore respuat: quid esse quod pudendum sit genere natam bono pauperem domum ducere uxorem? ‚Revereor filium', ait ille, quo responso poeta summa cum arte Apoecidi ansam consilii dat uxoris filio arbitrandae (v. 190) simulque servi auscultantis fraudem in eadem re nixam praeparat. Et si librorum maculam post v. 189

a *R. Müllero* l. s. s. p. 16 indagatam et Ambrosiani titulo scenae praefixo a *Studemundo* ,de Vid. Plaut.' p. 20 firmatam (cf. etiam praeter *Goetzium Lorenzium* in *Bursiani* annal. phil. XVI (1878) vol. II p. 103, *C. F. W. Müllerum* in Plaut. Prosod. p. 295 annot.) ita fere explemus: Quod ad filium attinet, optimum erit sine mora — ohne viel Federlesens mit ihm zu machen — prospicere ,continuo ut maritus fiat', sententiae commodissime ita se excipiunt, ut posteriores e prioribus tamquam natas videamus.[11]) Nam quae *Langrehrius* de consiliorum commutatione alioqui nusquam apparente disseruit, vix stare possunt. Licet enim ex II, 1 coniciamus Periphanem *priorem* ducendae Philippae consilium cepisse, simul e loco, de quo agimus, elucet illum cum amico rem communicantem dubia quaedam nuptiis obstantia tetigisse, quae hic accuratius investigare et infirmare studet: Periphanem autem nuptias modo visas *iam recusasse,* quo una mira consilii commutatio evinci possit, nescio qua re *Langrehrius* probet. Neque magis ceterae *Weisi*, *Ladewigi, Langrehri* haesitationes quidquam valent. Nam ut e sermone illo v. 166 sqq. nullo modo enucleari potest, num Apoecides amico re vera *persuaserit,* ut consilium nuptiarum perficiat, ita consulto poetam sales v. 173—180 ideo intermiscuisse putamus, ut Apoecidis ore pervulgatam quandam illius ut nostri aevi stultitiam ironice perstringat, qua cives largas dotes venati pro paupere ideoque modesta uxore (qualem alteram esse nisi Apoecides persuasum haberet, certe nuptias eius non commendaret,) crucem malam tecto recipiant, cf. ex. gr. Asin. v. 87.[12]) Licet igitur ponamus Periphanem filia vere inventa laetum de Philippae ut melioris mulierculae nuptiis cogitare, certo et arti et argumento fabulae satisfecit poeta matrimonio illo tam strictim commemorato, ut non tam partem comoediae necessariam eas esse quam commodam causam verecundiae filii voluisse videatur; neque abest suspicio poetam ita spectantes fortunam Philippae post venturae breviter edocuisse, ne fabulam iusto longius producere cogeretur (cf. infra pag. 20 sqq.).

Integerrimum modo locum, si librorum depravationem praetermittimus, tractare conati sumus: iam de alio haud

scio an iure suspecto agendum est, qui his versibus **363** sqq. continetur:

Ep. Núnc ego astútiam hanc instítui:
Devéniam ad lenoném domum egomet sólus, eum docébo,
Si qui ád eum adveniat, *iam út*[13]) sibi datum ésse argentum dícat,
Pro fídicina argentí minas se habére quinquagínta.
Quippe égo qui nudiustértius meis mánibus dinumerávi
Pro illá tua amica quám pater suam fíliam esse rétur.
Ibi léno sceleratúm caput suom inprúdens adligábit,
Quasi pró illa argentum accéperit, quae técum adducta núnc est.

In quibus quae *Ladewigius* l. s. s. p. 1087 et *R. Müllerus* l. s. s. p. 8 mira protulerunt dicentes v. 369 nescio quod immane supplicium lenoni portendi, quod postea desideraremus (cf *Goetz.* in Act. soc. Lips. VI p. 283, ubi scrupuli illi accuratius exhibentur), felicissime iam *Reinhardtus* in *Studemundi* studiis vol. I p. 105 sqq. et in Nov. annal. 111 (1876) p. 199 reppulit; quamquam nondum persanatum locum existimamus. Quid enim? *Inprudentem* i. e. nescientem, ‚ahnungslos' (cf. Capt. prol. 44; Trinum. I, 2, 23; Poen. prol. 75 et ipsius Epid. v. 729) lenonem se obligaturum esse Epidicus promittit;[14]) quo modo hoc fieri potest, si ille a servo adducitur, ut meris mendaciis fraudem eius adiuvet contestans se quinquaginta minas, non triginta (cf. v. 705) accepisse? *Minime vero ex usu est lenonem comperire se fraudi implicari,* quod *Ladewigius, Reinhardtus, Goetzius* l. s. s., *Ussingius* in ed. sua Epid. p. 271 sqq., *Langrehrius* in Misc. ph. Gott. p. 14 (qui v. 495 ‚Mercatus te *hodie*...?' sine ulla vincendi vi comparat,) volunt; immo nihil antiquius habet servus, quam ne ab initio ille auxilium ferendum recuset. Quod ut assequatur, id unum respiciet, ut leno continuo opinetur de priore fidicina *triginta* minis empta agi, et diligentissime, si quidem sanus est, cavebit, ne *quinquaginta* acceptas prodat, *praesertim quum minime intersit, quem numerum postea leno Apoedici nominet.* Non enim sine certo consilio Epidicus huic rei prospexit v. 296 incertum fidicinae pretium senibus referens:

Ád quadragintá *fortasse* eam pósse emi *minumó* minas

quum ipse iam dudum verum compertum habeat (cf. v. 52), eodemque consilio addit v. 297: ,Verum si plus dederis, referam etc.', quibus e verbis Apoecides nullo modo conicere potest, quanti servus puellam a lenone postea mercaturus sit, quum ipse eius dolo ab emptione retineatur: immo vero ne id quidem comperit Periphanem servo X minis plus i. e. L pro XL dedisse (v. 347), quum post v. 297 de minarum numero servo tradendarum certum quidquam per totam scenam non conveniat, Apoecides autem post v. 305 in forum digressus non prius cum sene amico rursus colloquatur, quam Epidici dolus felicissimum eventum habuit (v. 395). Veniat igitur lenonem rogatum Apoecides (a *Periphane* in fraude patranda nihil timendum esse v. 285 sqq. clare indicatur, neque certe postea lenonem conveniet, nisi forte quum dolus detectus iam est, cf. annot. 15; Epidicus autem, cuius fiducia nimirum prae ceteris in fidicina posita est, loco illo 363 sqq. non eis se occursurum nuntiat, quae post fraudem detectam sibi eventura putet, sed astutiam significat, qua fraus ipsa celetur; quae post fiant neque curat neque vero curare potest: ergo illis verbis ,si qui ad eum adven*iat*' — sic cum *Goetzio Hasperoque* scribimus — nemo dicitur nisi *Apoedices*): dicat ille XXX, XL, L minis fidicinam stetisse: pecuniaria re iam ante (v. 294) Epidico concessa satis erit ei comperire, num fidicina empta sit, quoniam ipse Epidicum claris verbis promittentem audivit se relaturum, quod plus sibi datum esset, et re verá (cf. v. 419) tam stolidus est, ut de servi fide minus dubitet quam qui minime, cf. v. 410. Etsi igitur non nimium tribuatur numerorum diversitati (v. 366 et v. 705) — nam talia alio quoque modo explanari possunt — tamen ceteris causis L minarum mentio v. 366 nullo modo teneri potest, et duplex praesto est medela, quum aut emendandi viam ingressi exempli gratia scribimus:

Pro fídicina argentí minas se habére *domi trigínta*

aut *R. Müllerum* et *Dziatzkonem* (Jen. Literaturzeitg. 1879 n. 17) secuti versum delemus, quippe quem ex v. 347 profecti glossematis specie initio fortasse numeris solutum ante-

cedenti sententiae adsutum, tunc re metrica adhibita sermoni artius intextum esse non improbabile sit. *Reinhardti* certo *Goetzique* de removendo versu dubia (cf. Act. soc. Lips. VI p. 285) eam, quam nos iniimus rationem, turbare non possunt. Imprimis quod *Reinhardtus* censet ita supervacaneum esse Epidicum lenonem quidquam docere, quod ille etiam non edoctus pecuniam se accepisse Apoecidi quaerenti pronuntiaturus sit, monendum est iam aliquot dies ex emptione praeteriisse, quare facillime fieri poterat, ut leno antea non commonefactus et subito a sene de puella rogatus quum nesciret, de qua emptione ageretur, tempus ex ea peractum proderet. Non ineptum igitur facit Epidicus, quum lenoni nuntiat fortasse mox aliquem eum de puella venumdata interpellaturum esse: eventus enim doli, quo Apoecides et leno ut de *una* puella et emptione usque cogitent decipiendi sunt, in tempore iam consumpto celando penitus positus est, de minis vero nihil cavendum. Re vera scilicet leno postea non interpellatur: sed quo modo servus hoc praesagiat? Videat modo, quae sibi praemunienda sint, ceteroquin fortunae sua fata committat: ex illis enim spectantes sapientiam eius pendent, in his si poetae certas normas praescriberent, iniqui essent. Quamquam hoc ipsum recentiores fecisse invenio, quum offenderunt lenonem postea iam non commemorari (cf. *Reinhardtum, R. Müllerum, Goetzium, Langrehrium* l. s. s. retractationem inde cogentes). Prae ceteris *Reinhardtum* miramur, qui quod in Curculione, Pseudulo, Poenulo, Persa, Rudente lenones decipiantur, in Epidico simile aliquid desiderat, quamquam ipse locum ita interpretatur, ut quid de lenone fiat ab argumento fabulae prorsus alienum sit. Neque magis *Goetzius* nobis probatur, qui imprimis postremos versus obscuriores et strictiores quam pro Plauti stilo videri dicens nos inducit, ut vernacula lingua totum locum proferamus:

Ep. Diesen Streich nun hab' erdacht ich:
Besuchen will ich allein den Wirt zu Haus, ihm Weisung geben,
Er möge, wenn man zu ihm kömmt, die Zahlung zugestehen,
[Dreissig Minen habe er einkassiert für die Harfnerin als Kaufpreis]:

Hab' ich'[s] doch selbst vorgestern erst bezahlt mit diesen Händen
Für deine Freundin, jene, die dein Vater für sein Kind hält;
Da wird der Kuppler ahnungslos sein Schelmenhaupt verstricken,
Als hätt' er bekommen das Geld für die, so jetzt mit dir erschienen.

i. e. ‚wenn mein Plan teilweise entdeckt wird — was ja bezüglich der gemieteten fidicina über kurz oder lang unausbleiblich — so haben wir immer noch den leno, der uns durch sein Geständnis, Geld empfangen zu haben, genug Handhabe bietet, das für die neue Geliebte verwendete Geld dem Vater wieder zu schaffen!' Id postea non opus esse Epidicus non praesagit; sed rem praemunit, et si actor haec suo sono praenuntiabat, non veremur, ne spectantes astutiam instituendam propter pressiorem dictionem — cuius causam e v. 376 divinari licet — non amplexi sint (cf. *Gz.* l. s. s. p. 286); et quum paulo post (v. 397) omnia accidisse audiamus, minime necesse est ob hunc locum (v. 363 sqq.) scenam aut a retractatore omnino repressam dicamus, qua lenonis fraus ob oculos ponatur (*Gz.* l. s. s. p. 287), aut cum *C. M. Franckenio* (in Mnemosyne n. s. VII — 1879 — fasc. II, rec. a *Lorenzio* in *Bursiani* annal. phil. XVIII p. 22) a titubante interpolatore conflatam opinemur. At ne longius ab eo, quod propositum est, quaestio aberret, haec praecidamus; nonnulla post seorsum uberius tractabimus.[15])

Denique ad v. **410—421** convertamur, quos a *Scaligero* iam tentatos *Langrehrius* rectissime notasse *Goetzio* videtur, v. praefat. ad Epid. p. XXI, quod ‚miro modo hi versus cum ratione universa quam instituerat Epidicus discrepent.'

Ex usu erit, quomodo ratiocinatus sit vir doctus accuratius enarrare. Duo enim consilia inter se pugnantia misceri ac confundi putat, quum ea, quae v. 317—18, 371, 375 claris verbis pronuntientur, fidicinam ad fraudis societatem ascisci, cum aliis v. 314—16, 411 sqq, 496 sqq. (*Gz.*) discrepent, quibus fidicina conducticia nullo modo particeps fraudis sit, sed ipsa quoque a servo fallatur, immo totam eius fraudem

revellat; quod, si socia eius facta esset, certe nunquam in mentem ei venturum fuisset (vid. *Langrehr.* l. s. s. p. 12). Enimvero aliquid inest in dilucida hac quaestione quod legentem capiat: verumtamen vir ille doctus rem nobis probavit minime. Atque primum magnam partem in eo nititur eius vis argumentandi, quod versus illos 314—318 inique dissecans consilium duplex odoratur, ubi nec prius quisquam ante *Langrehrium* nec nos sententiam hiare sensimus.

Nam quum servus aliquantum temporis consideraverit, quo modo Apoecidem de puella supponenda decipiat, subito clamat: ‚Id quoque habeo!' fidicinae recordans, quam conducere mane a Periphane iussus est, ut rem divinam facienti domi cantaret. ‚Ea conducetur atque ei praemonstrabitur e. q. s.' pergens se eadem illa fidicina ad fraudem usurum esse indicat, neque intellegimus hercle, quid *Langrehrius* sibi velit dicens ‚his versibus (314—316) de conductione prorsus aliena sermo est etc.' Periphanes scilicet, qui fidicinam conduci iussit — neque interest huius mandati praeterea nullo loco mentionem fieri — non potuit servo imperare, ut aliquam conduceret, quae emptam se simularet senesque ludificaretur: quo igitur iure postulemus, ut versibus illis, quibus nihil nisi merum senis mandatum refertur, aliquid consilii inde fluentis admixtum sit? Immo integerrimus universus locus videtur ita quidem, ut priore parte v. 314—16 non consilium ab insequente (317—318) plane diversum aut omnino per se solidum indicetur, sed tamquam ansa fraudis instituendae a servo significetur. Ita quum insequentes versus 371, 375 a priore loco 314—18 neutiquam abhorreant, hucusque dubium non est, quin servus fidicinam ad fraudis societatem asciturus sit; neque vero causa est, cur eum postea hoc non effecisse putemus, quod *Langrehrius* argumentis admodum levibus monstrare voluit.

Quod enim Apoecidis narratione v. 410 sqq. ad rem evincendam usus est, quid, quaesumus, hac in re Apoecidis verba valent? Simplicissimus profecto et ineptissimus homo fuisset Epidicus, si coram adiutore dato fidicinam astutiam docuisset! Immo hoc iam patratum sit necesse est, priusquam ille puellam

recipiat, et quaecunque amicus Periphani nuntiat inter eundum ex illis audita, id unum certe iis monstratur, quam docte ipsum Epidicus dolum celaverit; quo id quoque spectat, quod rem divinam illam pro filio fieri dicens non tam fidicinae imponit — cuius nimirum minime interest, qua causa seni domi canat —, quam Apoecidi speciem praebet se callidissime tempore usum Periphanis partes dolose tutari, quapropter etiam ab hoc laudatur (v. 416: ‚rectam institit'). De fraude autem re vera instituta Apoecides neque quidquam audivit nec sensit: ergo mirum esset, si in verbis eius praeter Periphanis illud mandatum ad fraudem pertinentia inveniremus. — Alterum autem sententiae suae argumentum *Langrehrius* his verbis protulit (p. 12 sqq.): ‚His igitur locis fidicina conducticia nullo modo particeps fraudis est, sed ipsa quoque ab Epidico fallitur. Quam inscitiam eius non ipsam fictam esse ac simulatam, clarissime ex eis concluditur, quae postquam fraus tota corruit coram Periphane agit atque dicit. Libere fatetur se iam ante quinque annos manumissam ad id tantum conductam esse, ut seni inter sacrificandum assistat.' Quorum priora quidem quin stare non possint nemo dubitabit, qui argumentationi nostrae aliquam vim concedet; id unum sane infitiandum non est fidicinam re vera coram Periphane ita se gerere et sermocinari, quasi nihil de dolo suspicetur. Quae a puella instituta ratio quum eis prorsus repugnet, quae fore ex priore fabulae parte exspectamus — servi enim partes tuendas non tutatur — nec rerum mutatio ita defendi possit, id quod suo iure *Langrehrius* monuit (cf. ann. 16), ut servum prius consilium meliore reperto omisisse dicamus, verendum est, ne vir ille doctus recte argumenti depravationem eamque socordissimum interpolatorem prodentem detexerit, nisi nobis continget, ut ratiocinatione probabilius aliquid indagemus.

Etenim quid est, quaeso, cur *in Epidico eiusque promissis* consilii mutationis sedem suspicari quam *in fidicina* malimus? Nonne veri similius est servum fraudis perficiendae causa re vera puellae omnia dicere, quae in re usui sint et claris verbis ut docenda saepius referuntur, fidicinam contra

personam sibi impositam a servo non sustinere? Hoc igitur si effici potest, puellam aliter agere aut coactam esse aut etiam voluisse, quam servus censuerat, simulque poetam eo ingeniosum, non ineptum se praestitisse, iam nemo erit, qui ad contaminationem aut retractationem (*Gx.*) decurrat. — Atque in hac re necesse est in animo fixum teneamus, quaenam Epidicus fidicinam docuerit, quod inde universa haec quaestio profluere debebit. Audiet videlicet illa adulescentem quendam amicam liberaturum esse patre inscio, qui illam filio praemercari avens ita decipiendus sit, ut ipsa fidicina se illam esse emptamque simulet, dum filius amicam servaverit. Prioris fraudis vel saltem Acropolistidis mentionem cur faciat servus, excogitari non potest, quum illa iamdudum perfecta sit nec novo dolo ita coniuncta, ut item docenda videatur; neutiquam servus militem tam intempestive advenientem praesagit: de hoc nimirum nihil prospicit. His igitur dolis onusta fidicina senibus traditur domumque intrat (v. 399 sqq.). Quod autem postea fraudem prodit, nobis duplex argumentandi ratio praesto est.

Primum enim si ponimus *Epidicum puellam Stratippoclis, Periphanis, Apoecidis nomina celasse,* nihil e rerum eventu veri similius est quam fraudem patefieri. Nam quum illa foras educta (v. 472) audiat Epidici dolos palam factos esse (v. 475 sqq., quae a milite de *priore* amica dici et ipsam et Periphanem plane fugit), et ipse astutiarum magister, qui unus ei suadere potest, iam pridem se abduxerit in senis ditione minime miti (v. 400 sqq.) ipsam relinquens: quis est, qui eam miretur, si dubitat responso ficto (post v. 495) sociam fraudis, quae iam detecta videtur, se prodere? Licet igitur antea servo promiserit se cum eo facturam esse, tamen inepta admodum et imprudens esset, si inanem dolum tueri studens sibi ipsa mala pararet; nam ‚suam quisque homo rem meminit‘, ut Plautus ipse ait. Ita vero Periphanem v. 495 non fraudis investigandae sed sui tentandae causa rogare suspicatur,[17]) et quum servi societatem omnino dissimulans libere quaerenti seni respondet, ne de Acropolistide quidem Epidicum tueri potest, quum a quo rogetur plane ignoret[18]). —

Altera ex parte *si Epidicus senes et adulescentem propriis suis nominibus coram puella significat,* non est, cur sententiam modo explicatam abiciamus: de v. 504 sqq. pauca addere liceat. Quamquam enim ita *Langrehri* sententia [19]) praevalere videtur, nos ordinem tenere non dubitamus: Non imprudentia atque ingenuitate, quamvis quaerentem noverit, commissa secreta fundit fidicina, sed bono consilio. Nam etsi Epidicus de Acropolistide nihil eam docuerit (cf. s. p. 18), tamen Stratippoclis mentione puella eius recordabitur (v. 508) simulque sentiet adulescentem recenti amore captum priorem iam ex animo eiecisse. Facillime eo, ut arbitramur, fieri potuit, ut fidicina si non extemplo, tamen post fraudem detectam (v. 475 sqq.) statueret cum inconstanti filio servoque fraudulento societatem dirimere nec quidquam celare, praesertim quum ex v. 504 colligas Acropolistidem fidicinae amicitia quadam coniunctam fuisse. Quod autem Periphanem tamquam ignorans sermocinatur, nihil aliud ita providet, quam ut omnem rerum notitiam dissimulans vel minima societatis specie elabatur et molesta quaestione quam primum finita naufragium e terra spectet. —

At quomodocunque res se habet, id quidem nobis erui non potest non esse commodiorem rationem, qua poeta secundam fraudem in lucem proferat. Qui quum ab initio, si quid videmus, utrumque servi dolum aperturus sit, quomodo, quaesumus, elegantius atque facetius rem instituat quam curans, ut ille praeclare de fidicina fraudem edocta sperans ab ipsa docte fallatur? Quanto minus vero lepida evaderet fabula, si cum *Langrehrio* (l. s. s. p. 13) fidicinam fraudis ignaram aestimaremus! — Fortasse sane aliquis postulet, ut fidicinae consilii animive conversio quolibet loco manifesto appareat; sed nobis dubium non est, quin spectantes quamvis non plane moniti tenorem rerum satis perspexerint, si quidem histrio fidicinae personam in servum dolosae aut saltem cautae cum arte tuebatur. [20])

Proinde exstat atque eminet, quid nos de contaminatione fabulae cogitemus eaque prava — an laudandam esse opinemur eam, in qua negligentiae vestigia tam manifesta exstent, quam *Ladewigius* l. s. s. sibi persuasit? Immo tanta cum arte, si re vera hanc fabulam contaminavit, poeta munere functus est, ut non nisi ex uberrima argumenti copia tale aliquid odorari atque investigare possis. Et ita iam *R. Müllerus* (l. s. s. p. 4), *Reinhardtus* (*Studem.* stud. I p. 108), *Goetzius* (act. soc. phil. Lips. VI p. 297 sqq., 315 sqq. et praef. ad Epid. annott. p. XXI) iudicaverunt dicentes causam non esse, cur Epidicum contaminatam putemus, cui sententiae libentissime annuimus, quoniam diligentissimum poetam etiam in levioribus rebus se praestitisse videmus, cf. quae infra seqq. pag. 45. — Jam vero

de fabulae retractatione

Osanno (Anal. crit. a. 1816 edd. p. 197), *Brixio* (praef. ad Trinumm. p. 8 annott. 27), *Reinhardto, Goetzio, Haspero* l. s. s. probata praeter ea, quae in prioribus examinandis tetigimus, nonnulla sunt perpendenda, idque munus eo accuratius obibimus, quo rectius *Hasperus* monet, ‚ne unumquemque impeditum et corruptum fabulae locum retractatorum studiis vexatum esse iudicemus, priusquam omni diligentia alia remedia quaesita sint.‘

Quod *Reinhardtus* in nov. ann. v. 111 (1876) p. 199 fabulam retractatam esse pro certo proponit, quia nemini nisi Epidico — cui cum *Langrehrio* (p. 11) Periphanem adiungere possumus — res prospere succedat, finemque decurtatum exhibet, quod ceterarum personarum fortuna iniqua caligine prematur, primum rogare liceat, quisnam filio inconstanti et queruloso, procaci Acropolistidi, grandiloquo militi fortunam meliorem optet, quam quae fabula ipsa indicetur? Lenonis vero partes cur non spectentur, iam satis monstravimus (cf. p. 12 sqq.); et quamvis non negemus Philippam filiam veram invenientem non sine applausu in scena nos visuros esse, si in publico hoc fieret, tamen, quum dubium non sit, quin congrediantur (cf. v. 604, 657), tantum

abest, ut omnia ea propalam spectare cupiamus, quae *Reinhardtus* fine decurtato interiisse censet, ut poetam Romanorum animis consulto commisisse iudicemus ceterorum fata ad arbitrium sibi exornare, quippequae et antea adumbrata sint[21]) et Epidicò servato spectantibus viliora certe visa, quam *Reinhardtus* sibi persuasit. Ceterum ipse rectum divinatus est, quum amputationem (sit venia verbo!), quam vult, fabulae inde factam esse putat, quod spectantes filia inventa, Epidico manumisso theatro exierint, solutum scilicet fabulae nodum existimantes ingenioque proprio cetera explentes, quomodo hoc etiam nunc in theatris suburbanis fieri soleat. Quam sententiam nos ita probamus, ut non de retractatore fabellam amputante cogitemus, ubi poetam cautum ipsum Quiritium morem quum novisse tum ab initio respexisse consentaneum est. [22])

Ac si in singulas quasi sedes retractationis, quam suspicantur, inquirimus, primum *Reinhardti* opinionem ponderemus de v. **5 sqq.** in nov. ann. 111 pag. 199 sqq. relatam. Non infitiamur videlicet in duplici illo sermone de Thesprionis valetudine (v. 9 sqq. et 17 sqq.) strictiorem fortasse dictionem praeferendam esse: quamquam habemus, quo poetae partes tutemur. Quod enim Epidicus primum generatim de conservi valetudine quaerit, ut valeat — ‚Wie geht's mit der Gesundheit?' —, deinde quum ille se valere salvumque esse obesi corporis habitu nonnullis iocis scurrilibus interiectis testatus sit,[23]) num perpetuo valuerit rogitat, dubios nimirum belli finiti casus respiciens, quod idem annuere Thesprio dubitat; ipsa hac et Epidici quaestionum et conservi responsorum varietate satis praesidii habet poeta, ut neque ob molestam sententiae repetitionem obiurgetur, neque posteriore retractatione defendendus sit. — Iam quod verba v. 7 ‚di dent, quae velis' et quae sequuntur v. 13 ‚di immortales te infelicent' inter se discrepare videntur, hanc haesitationem e medio tollimus, quum verba illa

Th. Salve! *Ep.* Di dent, quae velis.
Venire salvom gaudeo ....

nihil quam salutationem mutuam congredientium continere,

haec ad ipsum sermonis contextum ita referenda esse censemus, ut lepidae Thesprionis simplicitati manifestum latrocinium profitentis commode respondeant:

Th. Ich raube jetzt offen! *Ep.* Da soll dich doch gleich der Kukuk [holen]!......

Post hanc demum exsecrationem neutiquam scilicet seriam servus aliquantulo morae interposito animum ad id revocat, quod iam pridem erat dicturus, sed quominus proferret quum salutatione et praevalente valetudinis cognoscendae cura tum Thesprionis iocis scurrilibus adhuc impediebatur. (Simili modo paulo post Thesprio Epidico heri fortunam identidem quaeritanti — v. 20, 22, 40 — responsum usque ad v. 41 sqq. debet atque miramur hercle, si adhuc nemo contendit ioca interiecta, quum responsum illud retardent, pro spuriis esse delenda). Pergit igitur sonore vocis mutato

....‚Was du nur flinke Füsse hast!',

nec dubium est, quin actor prudens gestu sententiarum vicissitudini accommodato sermonis progressum lepide exornaverit. — Sic si rem interpretamur, tertium *Reinhardti* scrupulum in irritum cadere apparet v. 13 post 4 ponentis versusque interiectos delentis, neque minus inutilem viam *Hasperus* intrasse nobis videtur, qui ab v. 13 *novum exordium* fabulae incepisse credit, quo novae actioni scenicae consuleretur. Atque sententiam eius de v. 19 origine ex v. 9 repetita ideo non probamus, quod pro codicum statu, qui eo loco nunc est, eiusmodi divinationes de versuum similitudine vel cognatione quam incertissimae sint, sive *Goetzi* sive *Brixi Hasperi*ve ipsius emendationem sive nullam omnium amplectimur.[24])

Ad aliam fabulae partem *Reinhardto* suspectam transgrediamur. In religionem enim trahit l. s. s. homo ille doctus v. **37—38**, quum spectantes maius aliquid animis amplexi (Thetidis Nereidumque ipsarum Stratippocli utilem operam v. 32—33) *scutariorum* mentione a dearum specie ad homunculorum obsoleta opificia revocentur. Legebat quidem *Reinhardtus* hos versus cum *Gepperto* aliisque nondum *Goetzi* ingeniosa transpositione diremptos, sed ut exstant in libris:

Síne perdat: alia ádportabunt éi Nerei fíliae.
Id módo videndumst, út materies súppetat scutáriis etc.

et *Goetzio* maculam recte divinatus esse videbatur scribenti (anal. Plaut. 1877 p. 113): ‚Rectissime monet *Reinhardtus* in Fl. nov. ann. .... abhorrere v. 35 sqq. a colore eorum qui praecedant,‘ quod postea *Seyfferto* quoque praef. Curc. XVII et *Haspero* l. s. s. p. 10 ita arrisit, ut versus illos delere quam transponere malint. Sed ne remota quidem illa transpositione haesitatio quidquam valet. Nam ut eorum sententiam refutes, qui *non sine suo iure* in eo nihil mirum offendere sibi videntur, si poeta Nereidarum mentione facta iocum illum ex fabulis petitum missum faciat et insequenti versu (37) propius ad vitae veritatem accedat: id saltem in propatulo est, — sive armis illis, quae iam ad hostes transfugerunt, poetam ad Vulcani *tripodes* allusisse concedimus (quod *Muretus, Kiesslingius, Goetzius* observaverunt), sive *priora Achillis arma* comparari malumus, — ex universa Homeri ratione, ad quam locum spectare adhuc nemo negavit, Thetidem alteras armaturas Nereidum opera adulescenti mittendas ab eodem singulari deorum opifice petituram esse, qui et priora (cf. Il. XVIII. 466: οἷά τις αὖτε θαυμάσσεται) et nova Achillis arma Thetidis precibus obsecutus fabricatus est, vid. Il. l. s. s. v. 468.[25]) Si praeterea Cyclopum ut Vulcani adiutorum recordamur quamquam non ab Homero, tamen ab Hesiodo commemoratorum, iam non videmus causam, cur scutarios illos, quibus ut materies suppetat prospiciendum est, mortales quam divos esse malimus, siquidem ipsa Mulciberis mentione tam prope facta evidenter monemur armorum fabricatores, e quibus per synecdochen scutarii nominantur, fortasse non sine allusione ad Vulcanum inclitissimum quum armorum promiscue tum scuti Achillis opificem referenda, *deum ipsum cum Cyclopibus esse habendos.*[26]) Si ita ratiocinamur, paulum, si quid videmus, interest utrum versuum ordo immutetur necne, neque est, cur *Ussingium* miremur, qui nuper in ed. Epid. codicum ordinem tutatus est. Non igitur delendi cum *Haspero,* cum *Goetzio* transponendi *necessitas* in confessum venit, quamquam nonnulla huius sen-

tentiae praesidio sunt, qua et exempla illa ex Homero petita non incommode se excipiant et Thetis Nereidesque v. 34—36 interiectis a scutariis ita secernantur, ut iocorum perpetuitas nulla necessitate evincatur dubiumque non sit, quin scutarios omni retractationis cogitatione abiecta *mortales* fabros iudicare liceat. Ceterum conferas, quae hunc in locum et illustraturus et emendaturus *Goetzius* in anal. Plaut. p. 113 sqq. disseruit, ubi de personarum notis immutandis cogitat comprobante *Haspero* l. s. s. p. 10; neque nos fugit ipsum in praef. Epid. p. XXII ad priorem nostram interpretationem propensum videri.

De v. **46—49** iam *Goetzius* in anal. Plaut. p. 105 *Reinhardtum* (*Studem.* stud. v. I p. 104) ingeniose, ut opinamur, *Langrehrio* suffragante (l. s. s. p. 16) impugnavit;[27]) sed quamvis fortasse satis ita versiculis cautum sit, aliam explanandi rationem inire non minus, si dis placet, loco subventuram eo magis nobis liceat, quo graviora argumenta *Hasperus* neutiquam illis persuasus ad loci turbas evincendas attulisse sibi videtur. Est enim altercationis tenor hic: Primum nova re obstupefactus Epidicus sine ambagibus priorem emptionem Thesprioni eloquitur, qui et responso v. 49 ‚And're Städtchen, and're Mädchen, mein lieber Epidicus!' et universae rei tristissimae illi accurata enarratione non mediocrem molestiam Epidico exhibet, ex qua quum exclamationes eius v. 50, 56, 57, tum vocem illam ‚sed taceam optumumst' natas sentimus. Quid enim? Quis iratus vel quovis maerore affectus interroganti benigne respondeat? Minime hercle Epidicum id studere putamus, ut conservum quidquam *celet:* sed Thesprionis rogationibus iteratis postquam pauca respondit sermonem *indignatus* (cf. v. 63) abrumpit: ‚Doch es ist am besten, ich rede nichts weiter!' atque voce demissa pergit: ‚Was nützt auch dem Sclaven das Reden? Im Kopf muss er das Seine haben, das ist seine Weisheit,' quo ex dicto universa cogitandi ratio Epidici tam versuti ut alias clare elucet. — Servandi ergo sunt illi v. 46—49 et 58—60 nec utiquam transponendi. Iam in v. 50 sqq. aestimandis quod *Hasperus Weisium, Geppertum, Brixium* secutus retractatorem suspicatur

versiculorum similitudinem (50, 56, 57) reprehendens et Thesprionis responsum post v. 50 desiderans: eadem iterum eisdem fere verbis pronuntiari nemo negabit; sed liceat dubitare, nonne ex aliis causis quam retractatione iteratio illa responsique defectus profluxerit. Quasi fieri non possit et non re vera saepissime fiat, ut aliquis stupore vel terrore vel indignatione vel alio quovis animi motu perculsus rogantis verba neglegens in ea inquirat, quae *sibimet ipsi* cordi sunt, quasique non hominum naturae conveniat quam maxime in eiusmodi perturbationibus animi eisdem exclamationibus iterum atque iterum sensa exprimere, praecipue si sermone producto magis eminuit atque apparuit querelae causam verissimam esse! Et hoc et illud in Epid. vers. valet. Postquam enim Epidicus iam ex Thesprionis narratiuncula v. 43 sqq. pericula sibi ex Stratippoclis inconstantia imminentia praesagivit, quod exclamatione illa v. 50 ‚Vae misero mihi: male perdidit me!‘ satis indicatur, quid mirum, si plura comperire gestiens ad conservi interrogationem ‚Quid ais tu? Quid est?‘ ‚Wieso? Was ist's denn?‘ (*Goetzi* enim emendatione recepta priorem quoque partem cum libris Thesprioni tribuimus) respondendo tunc quoque supersedet et illico pretium novae puellae rogat (‚Was ist's denn vielmehr mit der, die du gekauft hast?‘)? Hoc enim ei potissimum est, quoniam ex priore emptione iam satis heri difficultatem numerariam cognitam habet neque ignorat illum in angustiis quibuslibet futuris ab ipso auxilium secundosque rerum proventus exspectaturum esse. Quae vero hac de re comperit, tam tristia ea sunt atque lubrica, ut animo fracto exclamet: ‚Ihr Unsterblichen! Wie doch bin ich einem König gleich gestürzt!‘ et Thesprioni ob rei obscuritatem denuo roganti: ‚Was hast du denn nur? Oder sprich, was ist denn geschehn, Epidicus?‘ dolore ardens illam vocem iterat: ‚Weh' mir, er hat mich umgebracht!‘ Iam non gravari eum putamus cetera enarrare (‚*Th.* Wer? *Ep.* Er, der sich um die Waffen gebracht!‘), quum subito sermonem abrumpere ei satius videtur, qua de re cf. quae supra exposuimus. —

De v. **153—156**, quos *Goetzius* in Epid. praef. p. XXI.

retractationis testes esse affirmat, iam supra p. 8 sqq. pauca erant dicenda, quum discrepantiam illam, qua militis patriam modo Euboeam modo Rhodum esse audimus, explanare conabamur, neque erat, cur alterutrum locum diligentius exploraremus, quia malae contaminationis speciem satis removisse nobis videbamur. Nunc vero ad priorem v. 153 cum insequentibus recurrendum est, quos retractationem resipere *Goetzius* vult dicens (Act. soc. phil. Lips. VI p. 287 sqq.) mirum esse, si Stratippocles de Acropolistide statuat, quae in Periphanis ditione versans ab eo pro filia habeatur: id certo poetam significare debuisse, quomodo pater cum filio transacturus esset e. q. s. eaque in editione sua Epid. (p. 24 nott.) ita dilatat: ,V. 153—155 ad alteram pertinere recensionem dixi Act. soc. etc., quibus nunc versum 156 addere non dubito.' Facere non possumus, quin doctissimo viro ut aliis in rebus hic quoque adversemur.

Postquam Stratippocles priorem amicam utique domo removendam esse intellegens servum consilium rogavit — nam falsa sunt, quae *Goetzius* huc pertinentia in praef. Epid. p. XXII annot. rettulit – et audivit hunc quoquo modo rem expediturum, quasi blandiens eius prudentiam effert (,plenus consili's: novi ego te'), nimirum ut certius aliquid comperiat: neque recusat servus dicere, quod certe inter prioris puellae emptionem cognovit, militem illam perdite amare et sine dubio empturum esse. Quod autem hoc tamquam praeteriens et cum socordia quadam *Goetzio* suspecta facit, duas eius rei causas proponere liceat. Primum enim nihil antiquius habet servus, quam ut inveniat, unde pecuniam recenti amicae emendae auferat (v. 158), neque dubium videtur, quin ad adulescentis quaestionem ideo tam arte responderit, ne a re tunc potissima diutius avocaretur. Deinde omnino cogitari non potest, quale consilium illud esse debeat, quod Epidicus cum probabilitate quadam proferat. Nam quum postea omnia ita praeter exspectationem accidant, ut Acropolistidem ipsam domi manere improbabile non sit (cf. v. 604, 643), fieri non posset, quin quodvis consilium servi improviso rerum eventu in irritum caderet, et poeta calliditati eius subvenisset quam

pessime! Artificiose potius hoc cavit, quum tam generatim eum loquentem inducit, ut non consilium posthac rursus repetendum vel perficiendum, sed *repentinam cogitationem* et amici solandi et propriae fiduciae significandae causa servus proposuisse videatur: simulque poeta id assecutus est, ut duplici militis mentione modo adulescentis modo senis partes defensuri expeditam Epidici vanitatem quasi vivam spectemus, qua eisdem personis usus pro tempore et pro re diversa consilia simulet. — Quod Periphanis nulla mentio fit fidicinam tum possidentis (cf. *Gz.*: ‚Wie in aller Welt kann denn Str. über die fid. verfügen, die Per. in seiner Gewalt hat?'), veremur, ne *Goetzius* rem angustius interpretatus sit. Non enim orabit miles adolescentem, ut hic puellam sibi *venditet*, sed *tramittat* i. e. überlasse, abtrete, seinen Ansprüchen auf sie entsage![28]) Quid ad hoc patris arbitrio opus est? ‚Videat miles, si Stratippocles amicam ipsi tramiserit — quod initio quidem ante filiae agnitionem quin faciat dubitari vix possit –, quo modo rem cum Periphane transigat, sive uxorem eam ducens, si continuo filia putetur, sive emens, si servi fraus interea detegatur! De pecunia hanc ad rem necessaria difficultas nulla eveniet, nam ille ‚multo auro potens' est!' Haec aut talia certe Epidicus molitur, sed non eloquitur,[29]) neque est cur causas iteremus. —

Quam sententiam *Hasperus* de lacuna post v. **61** *Goetzio* visa profert (pag. 12), ea satis commode eius emendatione firmatur; in aliis quibusdam locis nemo, qui documentis aliquam vim concedit, rem iam ad finem productam dicat. Quod enim *Goetzius* ad v. **135—137** in edit. suae not. scribit: ‚V. 135—137 a Plauto videntur alieni', dolemus valde doctissimum virum ne uno quidem verbo opinionis causas proferre; nam quis est, qui ita maculae insistere possit medicinis, qualia nobis tam multa praesto sunt, priusquam glossema statuamus? Atque ut *Goetzium* incuriae absolvamus, quoniam in libro curando sententiae uberius persequendae locus non erat, *Hasperus* certe rem subtilius demonstrare debebat, quam v. **215** sqq. et v. **261** sqq. fecit. Quid enim? Illis in proscribendis ad *Dziatzkonis* et *Wagneri* auctoritatem nos re-

vocat, quorum neuter sententiam suam pro terminis censurae, quam tunc agebant, amplius elocutus est. (‚Beachtenswerth ist die Athetese von 135 – 137 — s. Anm. 2 d. St.; *nicht besser scheinen mir übrigens* 215 f. —‘ ait *Dziatzko* Jenaer Litteraturzeit. 1879 p. 238; ‚V. 215 und 216 ist Ref. versucht für ein Glossem zu halten‘ *Wagnerus* censet Literar. Centralblatt 1879 p. 338). Utinam *Hasperus* unum illud tetigisset, quod *Langenium* in l. ‚Die Metaphern im Lateinischen von Plautus bis Terentius‘ observasse videmus (cf. *Bursiani* annal. XXXI 1883 p. 36: Animum advortere cum accus. = ‚bemerken, wahrnehmen‘ et ‚strafen‘ a Plauto nunquam ita usurpari Epid. 215 et Trin. 1096 exceptis, quos locos ideo a Plauto non profectos esse censendos)! Neque vero illud erat silentio praetereundum, scripturam loci iamdudum doctos vexasse, cf. *Rappi* l. ‚Die plautinischen Lustspiele‘, qui nescio qua editione vel lectione innixus personis mutatis v. 215—216 ita interpretatur:

... Sie wegzufischen, denkst du wie? *Periph.* Ich hört' es gern.
Epid. Die meisten führen unterm Kleid das Netz versteckt...

Ne longus sim: si iure *Langenio* ‚animadvertere‘ vocis structura suspicionem commovit, emendandi viam equidem ingredi malo quam eiciendi et exempl. gr. scribendum propono:

Eós captabant. *Átque adeo*, qui máxume animum advórterim,
Pléraeque eae sub véstimentis sécum habebant rétia.

Alteri denique versus 261 sqq., quibus Epidicus longe se abesse simulat a cupiditate duobus senibus proprium consilium venditandi, nimirum quod verum consilium ita astute celat, tam necessarii sunt ad argumenti continuationem, ut maiora retractationis documenta opus sint quam *Hasperi* opinio ‚a retractatore adiecti mihi videntur‘, praesertim quum ipse concesserit ne lacunam quidem post 266 cum *Goetzio* esse statuendam: nam verba optimum habere explicatum.

Iam septem illi versus **229—35** sunt adeundi, qui tam multorum doctissimorumque ingenia vexantes spuriae originis

suspicione adeo non se resolverunt, ut patrocinium eorum suscipere paene verendum sit. Si nihilominus in hac quoque re periclitamur, quum locis non sine omni, si dis placet, vi vincendi adhuc tractatis tum *A. Spengeli* recensione dissertationis ,De Plauti Aulularia' a *G. Wagnero* Bonnae anno 1864 editae impellimur (vid. Eos 1865 p. 113), ubi de loco tractando scripta invenimus: ,Auch der Anhang über Epid. II, 2, 38 überzeugt nicht etc'. Age consideremus, num doctissimus vir ita recte recensuerit.

Eorum enim, qui v. 229 sqq. omnino ut interpolatos delere volunt, *G. Wagnerus* l. s. s., quem rursus in ed. Aulul. (Canterb.) pag. 129 ann. ad v. 471 sqq. defendit, et primus et solus rem subtiliter persecutus est, quippecuius argumentis, quod nos quidem comperimus, ceterorum nemo novum quidquam addiderit. Neque desunt, quae recte ille monuerit, quamquam in ipso quaestionis cardine, ut ita dicam, rem acu non tetigit. Nam quod pag. 33 scribit: ,Mirum est, neminem adhuc animadvertisse, quam importune illa de *matronarum* luxu expositio hic sit intrusa: hic enim non de matronis deque earum luxu sermo est e. q. s.' totius loci contextum percepisse videtur ut qui minime. Quid enim? Graviora argumenta desideramus, quibus matronarum luxuriem hoc loco perstringi monstretur, quam quae *Wagnerus* attulit scribens: ,Si quis vero v. 51 ita accipere voluerit, ut ,viri' universe dicantur neque sint pro ,maritis', ei simplici ratione occurrere possumus. Nam patagium est clavus, quem solae matronae vestibus suis adhibebant, meretrices gerere vetitae erant, cf. *Boettigeri* Sabinam p. 359 et 377 n. 3'. Hanc in rem si accuratius inquirimus, ab initio Plautinae aetatis prisci mores sunt repetendi, dum aliqua vel rerum vel verborum inconcinnitate interpolatores in scenam grassatos esse nobis persuaserimus: nam in Plauti, ut vulgo putatur, fabula suspectos versus invenimus.

Atque primum quidem concedendum est Plauti aevo discrepantiam illam habitus matronalis meretriciique viguisse; nam etsi certa desunt rei documenta nec satis liquet, qua lege cancelli illi sint positi, qui postea saeculi improbitate

impune neglegebantur (cf. *Brisson.* ‚Selecta ex iure civit. antiq.' cum *Trekelli* annot. pag. 6), tamen nemo, qui meminerit vestimentorum varietatis, quae inter cives et peregrinos, patricios et plebeios, liberos et servos libertinosque ab initio fere reipublicae valuit, sibi non persuaserit victimas publicae libidinis — ut ait Tertullianus — una cum servis iam antiquitus certis habitus formis a matronis se distinxisse, immo priore tempore matronale decus (Val. Max. VI c. 1, *Santinelli* ‚De discipl. et mor. fem. Rom. p. 116) multo severius esse servatum quam postea hoc factum esse videmus.[30])

Altera ex parte ad simplicissimam certo varietatis rationem recurrendum erit, qua *una tunica* (‚Unterziehhemd', ut ait *Weissius* in ‚Kostümkunde' II p. 969) matronis meretricibusque communis, *illis altera tunica* exterior vel potius stola (‚Oberziehhemd') cum instita et palla, quum foris versabantur, aut palla succincta pro stola (cf. *Beckeri* Gall. III pag. 147 sqq.), *his toga* (meretricia) propria erat; et quamquam non negamus tunicarum (interiorum) numerum iam Plauti aevo duplicari aut adeo multiplicari coepisse, tamen quin matronis atque meretricibus hac in re idem licuerit, dubium non videmus. Proinde si tenemus illo tempore vestimenta quamvis colore materieque moris vicissitudini obnoxia forma quidem tralaticia sibi constitisse nequedum inusitatis, quae feruntur, vestis generibus seriusque priorum confusione coortis aut extrinsecus repetitis (velut synthesi, lacena, lena, braccis) commixta fuisse:[31]) *non alia nimirum nomina quam stolam et pallam meretricibus non concessas notare debebat poeta, qui clare matronas ipsas castigaturus* erat, praesertim quum haecce vestimenta prae ceteris luxuriae speciem prae se tulisse in propatulo sit neque inveniri possit, quo modo spectantes argumenti contextu et ‚istae' vocabulo v. 229 ad meretrices delegati de matronis cogitarint, quae aliter non uno verbo tangantur. Quid vero? *Tunicam* rallam, *tunicam* spissam etc. Periphanes profert, quae a cultu meretricio adeo non abhorrent, ut illo loco poetam e fabulae ratione meretriculas notasse vix iure quis neget.[32]) At patagiatam! monet *Wagnerus,* et ipsi miramur, quod non ‚indusiatam'

quoque meretricibus abiudicat, quum nusquam indusiatae i. e. alterius tunicae usum eis datum fuisse firmetur. Operae pretium est, quonam iure vir literatissimus patagium matronis solis addixerit, examinare.

A grammaticis de hoc vestis ornamento traduntur haec: ‚Pallis, patagiis, crocotis manicis' Naevi fragm. ap. Non. 540. — ‚Patagium, aureus clavus, qui *pretiosis* vestibus immitti solet' Non. 540. — ‚Patagium est, quod ad summam *tunicam* assui solet; quae et patagiata dicitur, et patagiarii etc.' Festus sub patagium.

Quomodo, quaeso, ex Noni locis divinemur ‚pretiosas vestes patagiatas' matronarum tantum fuisse, quum aliis testimoniis (cf. ex. gr. Epid. v. 222) meretrices nobiliores quidem nequaquam tenui habitu in publicum prodiisse satis firmetur neque legis usuram cohibentis mentio ulla fiat? Sin autem quis ex clavi comparatione in tunica virili tam insignis efficiat patagio similem praestantiam fuisse matronas ceterarum grege secernentem, vereor ne non habeat, quo rem satis defendat, quia veri simillimum est matronas Romanas et ipsas purpura usuras fuisse, si virilis clavi potissimum decus imitari voluissent; quod quum factum non sit (cf. *Becker*. Gall. III p. 144 contra *Boettiger*. Sabin. p. 359) et patagium rarius commemoretur, quam consentaneum est, si stolae pallaeque instar insigne proprium et peculiare matronarum illud esse volebant, grammaticus clavum vel ob formae similitudinem (Verbrämung) vel parem adsuendi modum (cf. *Ferrar*. l. s. s. I p. 206) contulisse videtur (cf. *Marquardt* und *Mommsen*, Röm. Altertümer VII p. 531 sqq.). Iam quod Festus docet patagium ad summam *tunicam* esse adsutum, quo iure sine scrupulo *exteriorem* illam i. e. stolam matronarum esse dicamus quam *interiorem* meretricibus quoque usitatam, praesertim si *Reinius* in Pauly Realenkykl. IV p. 2248 sub ‚tunica' recte monuit exteriorem nunquam alio quam *stolae* nomine appellatam esse? Quia autem matronis patagium minime abiudicare studemus, quod quidem necesse est, si Festi illud ‚tunicam' non pro ‚stola' usurpatum concedimus — nam nemo non videat matronarum patagium, si interiori

tunicae adsutum erat, neque vestem ornare neque omnino conspici potuisse, quum stola operta esset —, sit nimis anxie *Reini* illud cautum aut rectius fortasse ita intellegendum, ut matronalis tunica exterior ne pluribus quidem tunicis receptis stolae nomine mutato ‚supparus' sit nominata virilis instar: licuerit ergo etiam Festo de muliebri veste dicenti stolae tunicaeque nomina confundere: neutiquam profecto grammaticorum locis impedimur, quominus, quo quidem tempore vestimentorum cancelli stabant, *tunicae* patagium adsutum fuisse contendamus *et exteriori matronarum* i. e. stolae, *et meretricum interiori* vel pluribus concessis alteri tertiaeve non adeo toga velatae, ut ornamentum lateret. Qua autem causa meretrices negata stola *tunicas* vario modo pretiosiores reddiderint, vix in dubio est. Proinde quo *Beckerus* l. s. s. III p. 143 probet patagium *nobilium* feminarum fuisse insigne, nos plane fugit. Ceterum *Boettigerus* ipse sententiam multo cautius chartis mandavit quam *Beckerus* et *Wagnerus*; nam scribens (pag. 377) ‚Diese Bordüre war *eigentlich* nur ein Vorrecht der Matronen', mulieribus promiscue patagium non abiudicat: argumenta vero sententiae in hac quoque re desideramus.

Fortasse sufficiat in his acquiescere atque pro fabulae argumento ad meretrices solas locum referre:[88]) sed ne Ferrarium — qui iam in voce *regilla* v. 223 monet (l. s. s. I p. 239): ‚Heic autem Pl. etiam matronarum luxum perstringere certum est' — ceterosque omnes, qui vers. illis matronarum luxuriem tangi voluerunt, neglegentes speciem audaciae in nos committamus: *habeant matronae solae patagium, habeant etiam indusium: ne ita quidem versus ratione carent.*

Nam si poeta meretricularum luxuriem obiurgans vestimentis mulieribus universis communibus nomina quaedam intermiscet ad matronas potius referenda, id quoque bono consilio magnaque arte molitus est. Discimus enim e Livi hist. l. XXXIV c. 1 effusum cultum, qui lege Oppia sumptuaria coercebatur, non in scortis tantum viguisse, quae habitus ornamenta quaestus causa appetiisse per se probabile est, sed matronas ipsas adeo occupavisse, ut nulla nec auctoritate

nec verecundia nec imperio virorum limine contineri possent, sed vias aditusque in forum obsidentes viros descendentes ad forum orarent, ut florente republica, crescente in dies privata omnium fortuna, matronis quoque pristinum ornatum reddi paterentur. Quid veri similius, quam abrogata lege a u. c. DLIX easdem matronas licentia reddita plus minusve incpte abusas esse, etsi L. Valerius tribunus plebi periculum non esse censuerat, ne mulieres ad luxuriem effunderentur (Liv. l. s. s. c. 6)? Ut igitur illo aevo mores mulierum nondum tantopere corrumpi coepisse concedimus atque sub imperatoribus, ita tunc praecipue duobus gravissimis bellis secundo Marte finitis inane matronarum quarundam cultus studium amplioribus opibus undique Romam confluentibus adeo auctum esse persuasum habemus, ut priscorum cancellorum immemores vestimentis uterentur colore materieve miris, quae cives antiquo mori Catonisque severitati faventes meretrice digniora quam matrona putarent. Tales ineptias notare poetae comici est, nec supersedet munere Plautus rem ita instituens, ut ‚istae' voce manifesto ad meretrices antea nominatas referenda scortorum luxuriem se carpturum indicet et tunicarum nomina varia proferens incipiat, tunc patagiatae mentione intermissa matronarum quoque pudoris oblitarum censuram agat: nam quae pudica mulier cum meretricibus comparari non erubescat? Quod autem ne ita quidem de *stola,* sed *tunica* loquitur indusiata, patagiata, in medio relinquimus, utrum re vera unquam Romae vestis ‚indusiata' vel ‚patagiata' sit nominata, an poeta verbo numerose cadente honestum stolae nomen circumire et matronarum obiurgationem cum meretricum censura tunicae nomine utrisque communis artius connectere, vel patagium ipsum ob effusiorem cultum notare voluerit.[34])

Longius fere, quam pro huius libelli terminis ex usu sit, a quaestionis contextu abducti sumus monstrando enumerationem illam vestimentorum quum nominibus a tempore tum consilio ab ingenio Plauti non modo non abhorrere, sed praecedentes versus 222 sqq. festivissime exornare. Nunc de personarum partibus nonnulla sunt dicenda.

Atque imprimis monere velimus v. 225 sqq. omnes libros — cod. E excepto ita, ut Periphanis nota initio versus omissa medio tamen inserta sit, cf. *Goetz.* ed. Curc. praef. p. XI — Periphani dare: quam personarum dispositionem ita retinendam esse putamus, ut cod. Ambr. auctoritate innixi, quae mss. JFZ fide firmatur, totum locum scribamus:

Epid. (ad monstruosae vestis speciem miram ironice alludens):
Inpluviatam, ut ístae faciunt vestimentis nomina.
Periph. Ut(i) inpluvium indúta fuerit, quíd istuc tam mirábilest?
Quási non fundis éxornatae múltae incedant pér vias.
Epid. Ein *Hofkleid,* wie dies tolle Volk der neuen Mode Namen schafft.
Periph. Und trug sie selbst 'nen ganzen *Hof,* wer fände dies so sonderbar?
Sieht man sie doch mit *Gütern* gleich beschwert zu Hauf die Stadt durchzieh'n.

Iam quod omnes libri v. 229 sqq. Periphani continuant, erraverunt omnes, ut opinamur, qui personas mutare volunt. Licet enim subtilius *Wagnerus* l. s. s. p. 33 iudicaverit Epidicum importunarum uxorum commemoratione praeter calliditatem Periphanis animum praeoccupare, quum ipse postea Stratippocli uxorem arbitrandam censeat — nam neque matronas imprimis perstringit servus, neque, si ita esset, inepte senem praeoccuparet, quandoquidem et Periphanis horror mulierum (cf. v. 174 sqq.) haudquaquam servo ignotum iam ante apparuerit, et consilium uxoris filio arbitrandae ab Apoecide prius commemoratum sit (cf. v. 190), ita ut muliebris cultus reprehensio *animo* senis conveniens, consilium servi (nuptiarum) *e necessitate* profectum et *ideo* seni probatum nullo modo inter se discrepent, — tamen cavillatio illa servum minus quam senem decet. Ut enim meretrices tantum illo loco tangantur, in propatulo est Periphanem patrem luxuriem earum tributis iuvenum altam (v. 227) meliore iure moleste ferre atque carpere quam Epidicum; ut autem una matronae

perstringantur, morosi senis conditioni hoc multo magis convenire quam servi quis est, qui neget, quamquam hunc illius auribus fraudis causa servire non ignoramus? Quod autem Periphani locum tribuere malumus quam Apoecidi, non solum librorum fide adducimur, sed etiam illius conditione e fabula perspicua, quoniam Periphanes viduus, cui insuper Acropolistis meretricula pro filia domi est, muliebrem cultum et matronarum et meretricum satis superque cognitum habuerit, de Apoecide contra nihil certum constat.

Quamquam unum offendere nemo non videat: Si enim Periphanem v. 225 usque ad v. 234 nulla e personarum vicibus profecta mora interiecta loquentem facimus, sententiarum ordo claudicat: nam v. 229 sqq. si ita leguntur, ut in libris nunc exhibentur, una cum antecedentibus v. 227—28 commode ab eodem dici vix possunt. Atqui literati homines iam in nota Periphanis v. 225 haesitavere: quid mirum, si ei, qui illos versus 225—28 Epidico (ut *Bothius* et *Rostius*) vel Apoecidi (ut *Goetzius*) dederant, hic iterum personarum vices admittendas censebant? Quorum rectissime, ut opinor, *Bothius* ad Periphanem se convertit — quamquam emendatio, quam proposuit, ex ratione instituta (v. 225—28 Epidico tribuente) supervacanea sit — neque audienda sunt *Wagneri* confidentia verba (l. s. s. p. 34): ‚*Bothius* ‚quid ita‘ scripsit et verba Periphani attribuit, *quae ratio emendandi non potest probari.*‘ Ne multa: habere nobis videmur, quo viam munire queamus. Est enim universi loci v. 223—236 tenor per se satis dilucidus: ‚Du rümpfest, ait Periph., die Nase über das Hofkleid; und doch ist daran nichts sonderbar: sorgen ja doch gewisse Männer dafür, dass diese Dirnen sich mit Schmuck beladen können, der ganze Grundstücke verschlingt; ja, mag man selbst dem Staat die Steuer schuldig bleiben — für jene hat man immer Geld. Man sehe nur das Treiben dieses Volkes an: da mangelt nichts, denn unerschöpflich ist's in seinem Putz! — — Ja, ja, die Kleidermoden bringen manchen Mann um Haus und Hof.‘ In uno v. 229 transitionem desideramus: qua re nisi lacuna indicatur, de particula est cogitandum contextum restituente, et ‚vestei‘ voce remota (quae

quum e versu 224 fluere potuit tum ob insequentia nomina satis supervacanea est) scribimus aut:

Quíd enim istae, quaé quotannis nómina inveniúnt nova!

aut interpunctione mutata:

Quíd enim istae? Quae quotannis nomina inveniunt nova!

ita, ut poeta his versibus adulescentium cavillationem modo factam quasi firmet: Denn — wenn jemand meinen Tadel für ungerecht hielte — beweist nicht das Treiben dieses Weibervolkes genugsam das Gesagte? Alljährlich neue Moden!

Quem sententiarum ordinem si tenemus, ne variatio quidem illa vel repetitio v. 224 et 229 *Wagnero* suspecta, quae in Epidici ore vix tolerabilis est, a Periphane offensionem habet ullam, quum ita a Plauti sermone neutiquam sit aliena (cf. v. 237 occepisti — occepere). Si porro mss. codicibus innixi v. 234 ‚Qui?‘ Epidico, ‚Vocant Laconicum‘ sqq. Periphani damus (BJFZE, sed. E v. 235 Ep. praemisso *Gz.*), quem imprimis v. 235 multo magis decere quam servum mirum in modum literatissimos viros fefellit, personarum ordo persanatus videatur.[35]) — At, dicat aliquis, quo modo probemus Periphanem tamquam morae impatientem v. 236 Epidicum interrogare ‚Quin tu ut occepisti loquere?‘ quum ipse verbosa sua cavillatione impedierit, quominus ille narrationem continuaret? Haud scio an ipsum ostii limen tangamus rem ita interpretantes, ut non tam ex narratione dilata quam feminarum effrenata luxurie eiusque vitiis ab ipso modo notatis Periphanes stomachum ceperit, quem post exiguam moram (‚logische Pause‘) erumpit: ‚Warum doch fährst *du* in deiner Erzählung nicht fort?‘ i. e. ‚Mach *du* jetzt weiter und erzähl', was fürder war!‘[36])

Liceat proinde totum locum ratione nostra dispositum adscribere:

Per. Quíd erat induta? án regillam indúculam an mendículam?
Ep. Ínpluviatam, ut ístae faciunt véstimentis nómina.
Per. Út inpluvium indúta fuerit, quíd istuc tam mirabilest?
Quási non fundis éxornatae múltae incedant pér vias!
Át tributus quom ínperatus ést, negant pendí potis.

Íllis quibus tribútus maior péndítur, pendí potest!
Quíd enim istae? Quaé quotannis nómina inveniúnt nova!
— — — — — — — — — — — —
Cáni quoque etiam adémptumst nomen! *Ep.* Quí? *Per.* Vocant Lacónicum.
Haéc vocabula aúctiones súbigunt ut faciánt viros! —
Quín tu ut occepísti loquere? etc.

Per. Was trug sie denn? Der Fürstin Staat? Die Lumpen eines Bettelweibs?
Ep. Ein *Hof*kleid, wie dies tolle Volk der neuen Mode Namen schafft.
Per. Und trug sie selbst 'nen *ganzen Hof,* wer fände dies so sonderbar?
Sieht man sie doch mit *Gütern* gleich beschwert zu Hauf die Stadt durchziehn!
Wird dann die Steuer abverlangt, dann heisst's: ‚Wir haben jetzt kein Geld.'
Für jene, denen reicher fliesst die Steuer, haben sie das Geld!
Sieh' nur dies Weibsvolk! Welchen Putz der Mode heckt es jährlich aus!
— — — — — — — — — — — —
Vom Canis selbst nennt eine Tracht sich! *Ep.* Nun? *Per.* Sie heisst Laconicum.
Die Wörtlein schaffen jedem Mann Bankrott ins Haus und Pfändungsnot! —
Nun mach' du fort flugs! Wie begab sich's weiter? etc.

Quod igitur hac quaestione effectum est si breviter complectimur, tantum abest, ut interpolationem totius loci cum *Wagnero* aliisque statuamus, ut ne recensionis quidem duplicis indicia *Reinhardto, Goetzio, Haspero* visa senserimus. Nam quod ille in Nov. ann. 111 (1876) p. 199 scribit ‚Die Gedanken sind an sich nicht unpassend, aber dem Zusammenhang unangemessen und so dürfte es wahrscheinlich sein, dass sie ihre Aufnahme in den Ep. einer späteren Aufführung verdanken', ob id a *Goetzio* laudatus (vid. ed. Epid. p. 34),

nescio an eodem errore nitantur, quo doctissimi viri matronas solas illo loco notari sibi persuaserunt. Et licet *Beckeri* sententiae aliquid momenti concedas (vid. Gall. III pag. 7: ‚Noch ist es die Frage, ob diese Scene — Aul. III, 5 — ganz dem Dichter angehört, ob nicht bei wiederholter Aufführung des Stückes ebensogut als Epid. II, 2 manche neue Mode hinzugekommen ist....‘), neque sententia ea satis firmata est, ut confidenter de altera recensione cogitemus, et v. 233 hac in re gravissimum cum *Goetzio* merum additamentum existimare eo libentius dubitamus, quo crebrius eiusmodi *metri* corruptelas ex grammaticorum librariorumque sive socordia sive prava sedulitate profectas et saepissime persanatas esse constat.[37])

Ussingi emendationem v. **293** sqq. defendens (cf. *Lorenz.* in *Bursiani* annal. phil. XXII p. 2 pg. 71), qua vere omnes *R. Mülleri, Reinhardti, Goetzi* haesitationes e medio tolluntur,[38]) *Hasperus* id quidem concessit, de hoc loco restituendo quamvis turbato non ita desperandum esse, ut retractatum eum existimemus, quod *Dziatzkonem* l. s. s. p. 238 censuisse video.[39]) In medio relinquimus, nonne personarum notis cum *Goetzio* mutatis percommoda coniectura idem assequamur, quod *Ussingius*, scribentes:

Per. Épidice habeas grátiam. *Apoed.* Sed ego ístuc faciam sédulo.
Égo illum conveniam átque adducam huc ád te, *quoiast, fidicinam.*

Interpretamur enim illud *quoiast* = dem sie (als gekauft) gehören wird, ut Plautus saepius praesens tempus pro futuro ponit (cf. *Capt.* III, 5, 91; *Cas.* II, 8, 43; *Cist.* II, 1, 60; *Most.* I, 1, 78; III, 1, 150; *Men.* I, 3, 6; III, 3, 15; *Pers.* I, 3, 60; V, 2, 51; *Stich.* IV, 2, 28, 32), ita ut emptio *tamquam iam rata* seni videatur; neque quidquam obstat, quominus ita ratiocinantes *Gepperti* quoque emendationi *cuiamst* i. e. cui iam erit, ‚dem alsbald sie gehören wird,‘ faveamus. Ceterum haec quoque lectio in sententiam non male quadret:

Égo illum, *quoiast,* cónveniam *atque huc ád te adducam fídicinam.*
Ihren Eigner will ich besuchen, zu dir sie bringen, die Harfnerin.

Quum ad *Reinhardti* scrupulos revertimur, quos ex v. **349—51** hausit, una de *Goetzi* censura est disceptandum, qua totam actus III scenam alteram a retractatore misere esse laceratam putat ed. Epid. pag. 47 in not., quod literatissimum virum in editione sua curanda magis quam quemvis alium sibi persuadere potuisse consentaneum est: num recte, hac quaestione quaeratur. *Hasperi* opinionem si minus fortasse respiciemus, quam velis, mirari noli; nam quum hic locus non sit, quo universam fabulae partem secundis illis tertiisque curis retractemus, quibus ille sententiam suam firmandam tramisit, — quod haud scio annon ei facere liceat, qui primus miram colluvionem ex particulis genuinis et post Plautinam aetatem assumptis se indagasse indicet, — ex ratione nostra rem magis quam verba persequemur. Atque ut de v. 338—40 taceamus, quippequi cur sententiae repugnent *Hasperus* non probavit, ad v. 349 sqq. accedamus collustrandos.

‚Ibi — post v. 348 — est lacuna, praedicavit enim Epidicus copiosius machinas suas et fallacias.‘ Sic *Hasperus, Seyfferti* vestigiis (cf. *Bursiani* annal. phil. vol. VI 1876 p. 2 pag. 77) insistens: argumenta sua reticuit. At, quaesumus, cur Epidicus hoc ipso loco astutiam suam *praedicet* necesse est, quum paulo post (v. 354 sqq.) universi doli filum breviter strictimque adumbret? Immo ne parvula quidem lacuna, qualem *Seyffertus Goetzio* approbante suspicatur, v. 348 ab insequente diremptus videtur. ‚Wenn ich nur dir gefalle in meiner Willfährigkeit, acht' ich meinen Buckel keinen Pfifferling‘ locutus Epidicus v. 348 verbera sibi metuenda tangit, et Stratippocles nondum adhuc edoctus, unde quantoque periculo Epidicus nummos paraverit, respondet: ‚Wie so? Wie kommt hier dein Buckel in Betracht?‘ ad quae servus summam iocose amplectitur dicens: ‚Weil ich deinen Vater zum Beutelschneider machen will, scilicet qui fraude detecta quoquo modo in me consulere poterit.‘ Neque maiore iure insequentes versus offendas. Inusitatam enim vocem *perenticidam* quum non percipiat adulescens ‚Quid istuc est verbi?‘ rogat. Sed oscitanter Epidicus accuratiore responso super-

sedet, quum prius dictum tamquam corrigens atque cumulans ad fraudem explanandam transit: ‚Nicht halt' ich mich auf bei so alten, gewöhnlichen Reden, wie *Beutelschneiden*: werd' ich ja doch jetzt *kuhhautweis* betrügen.'[40]) Non dubitat scilicet Plautus, quin spectantes intellegant nomen illud a *pera* factum esse et auctorem in ambiguo vocum *par*enticidae et *per*enticidae lusisse (Salmas. apud Gronov.); ceterum ipse altera voce ‚peratim ductare' cavit, ne res cuiquam obscura maneat. — Ex *Goetzi* recensione locum recensuimus demonstraturi *sententiam non hiare*; num vero locus iam persanatus sit, adhuc sub iudice lis est. Quamquam enim longe plurima eorum, quae literatissimi viri lacunas ponentes, personarum notas invertentes, vocabula tradita delentes propriisque inventis versiculos explentes hic illic tentaverunt, supervacanea sunt ad argumentum fabulae explanandum, tamen medicinam versui 349 nondum inventam esse *Haspero* concedendum sit scribenti: ‚Camerarianum *perenticida* male formatum nullo pacto verum esse potest.' Non sit difficilius novis medelis loco subvenire, quales exempli gratia praebeat haec emendatio:

Str. Nam quíd ita? *Epid.* Quia *erga* tuóm patrem faciám me *peri*cídam.

Str. Wie so? *Epid.* Weil ich mich am Vater dein zum Beutelschneider mache.

Sed res hoc modo non certior fit. Quid? Nonne hic ut supra v. 233 ab initio *prorsus alia vocabula* exstare potuerunt, qualia Plautus e vulgi sermone cotidiano depromebat aut sine analogia certaque ratione fingebat, dummodo vulgus ambiguum illud intellegere posset, in quo poeta luderet? (cf. *Salmas.* ap. *Gron.*) Quae vocabula postquam librariorum incuria depravata sunt — de retractatione consulto facta hic ideo non est cogitandum, quod non nisi mera dementia tales ineptias eloqui possit, quales mss. exhibent (*parenticidam, paratum, peratum, follitum Gz.*) — non mirum si emendatio eiusmodi locorum, praesertim si altera recensione, ut hic Ambrosiana, caremus, in omne aevum admodum incerta maneat; sin autem re vera iam contigerit aut postea cuivis

contingat, ut probabilem Plautoque dignam emendationem proferat, cur tunc retractatorem divinemur, ubi sententiarum ordo ipse sanus est?

In versibus, qui sequuntur, res multo dilucidior est. V. 353 sine dubio est glossema e v. 367 et 368 consutum. Post v. 355 *R. Müllerus* l. s. s. p. 6 lacunam probabiliter statuit; nam *eius* vox v. 356 quo spectet non intellegitur. Quamquam equidem ut putem lacunam tam amplam esse quam vult *Müllerus* animum non possum inducere. Teneamus fabulam non Stratippoclis, sed spectantium causa esse fictam: quam perversum hercle esset atque taedii plenum, si servus adulescenti hoc loco multis verbis enarraret, quae iam ab v. 190 inde per totum alterum actum Periphani diserte exposuit! Spectantes enim quum ita rerum contextum, quoad res postulat, perspexerint, hoc loco Epidicus satis habebit Stratippoclem ea docere, quae sciat utique necesse est, praesertim ob eam quoque rem, quod adulescens omnem spem in servo ponit eiusque ingenio salutem suam plane committit: pecuniam ergo paratam esse hic dicet, patrem iterum decipi dolo, ab Apoecide quamvis cautore dato non multum esse timendum. Atque haec postquam breviter adumbravit, quod in ceteris ab v. 363 diligentior est, non aliam video causam, quam quod hic spectantes quoque sunt edocendi, quonam modo servus astutiam antea (v. 314) summatim gustatam ad effectum perducturus sit.

Sufficiet igitur lacunam exempli gratia hoc modo explere:

Nam ita suasí seni atque hanc hábui oratiónem
[Ut fídicinam aliam praéstinet, quam multum deperíres,]
Ut, quóm redisses, né tibi eius cópia esset.

Depravatio ergo librorum hic manifesto apparet, de retractatione certe non est cogitandum. Neque desunt mendae in versibus proximis, etsi lacunarum vestigia *Hasperus Brixius*que nobis non probaverunt. Imprimis *ea* vox v. 357 eo quidem, quo nunc est, loco vix potest tolerari. Nam si servus v. 352 priorem fraudem tetigit statimque ad alteram transiit, quo modo potest *priorem* fidicinam rursus commemo-

raturus dicere ‚*ea* iam domist pro filia?‘ Quamquam enim aliquis contendat *nunc* voce v. 357 iterata satis monstrari Epidicum illis verbis ad priorem fidicinam recurrisse, tamen hoc poetae accuratius indicandum fuisse puto, quum ex. gr. scriberet:

Ep. *Illaéc* domist pro filia. *Str*. Teneó. *Ep*. Nunc *adiutórem* etc.

quam emendationem ‚adiutorem‘ *Spengelio* debeo. Ceterum loco — quod *Hasperum* obiter indicasse video — alia quoque ratione mederi possumus, quum ita versus disponimus:

Ep. Nam léno omne argentum ábstulit pro fídicina: ego resólvi.
Ea iám domist pro fília. *Str*. Teneó. *Ep*. Nunc *adiutórem*
Ut íterum fallatúr pater tibique aúxilium adparétur,
Invéni; nam ita suasí seni atque hanc hábui oratiónem,
[Ut fídicinam aliam praéstinet, quam múltum deperíres,]
Ut, quóm redisses, né tibi eius cópia esset. *Str*. Eúge!
Ep. Dedít mi ad hanc rem Apoécidem — is ápud forum manét me —
Qui récte caveat. *Str*. Haúd male. *Ep*. Sed iam ípse cautor cáptust.

Das ganze Geld ja nahm der Wirt für die Harfnerin: *ich* bezahlt’ es.
Sie gilt zu Haus als Tochter jetzt. *Str*. Ich weiss. *Ep*. Jetzt ward noch Beistand
Mir gar zu teil, um abermals den Vater zu betrügen
Zu deinem Heil! So nämlich war mein Rat und meine Rede:
Eine andre Harfnerin, teuer dir, soll er mit Geld erwerben,
Damit sie dir nach der Heimkunft nicht zur Freude diene.. *Str*. Recht so!
Ep. Den Apoecides nun gab er mir bei, der wartet mein am Markte,
Den Kauf zu liefern. *Str*. Schön soweit! *Ep*. Doch der ist selbst geliefert.

Totius ergo loci tenor iocosus hic est: Der erste Betrug lief glücklich ab; warum sollte es mir jetzt fehlen, da dein Vater selbst mir für einen Beiständer gesorgt? *Ihm* freilich, meint er, soll er Helfer sein; aber der ist gottlob so dumm, dass er nach *meiner* Pfeife tanzt. — Denique liceat proferre emendationem propter librorum turbas non improbabilem et quae haud scio an sententiae conveniat:

Dedít mi ad hanc Apoécidem; is ápud forum manét me,
Quasi qui íllam emat; caveat caúte malo! namque ípse cautor cáptust.

Deinceps quae sequuntur — de v. 363 sqq. iam supra disserendum erat pag. 12 sqq. — tam perspicua sunt atque clara, ut iam liceat nobis ea, quae de actus III scena II modo exposuimus, in unum conducere dicentibus non esse de statu scenae quamvis prae ceteris depravatae ita desperandum, ut supremum auxilium effundamus in interpolatione inextricabili statuenda positum.

Qua re *Hasperus* sit adductus *Dziatzkonem* l. s. s. secutus v. **662—65** ad alteram fabulae recensionem referre, me quidem fugit: nam causas plane desidero. An v. 656 et 663 comparatione suspicio commota est? Quae inde cogi possit inconcinnitas in eo posita, quod servus sex versiculis interiectis id facere instituat, quod tunc quidem se non facturum modo clare indixerit, eam re vera non valere mihi satis persuasi. ‚Schwätz' jetzt nicht lange, sondern gehe hinein und lass' deiner Schwester ein Bad bereiten; all' das Übrige wirst du schon noch erfahren, wenn sich Zeit dazu bietet.' Haec sororis cura poetae ansam suppeditat removendi adulescentis, cuius persona iam opus non est; et postquam hic discessit servique iussum – nam imperat hero, non suadet Epidicus! — ad effectum certe perduxit, quod quin inter sex versiculos 657—63 fieri possit e comicorum ratione dubium non est, quid, quaesumus, obstet, quominus Epidicus consilia sua tunc quidem cum eo communicet, quum otium illud (v. 656) praesto sit atque *spectantes* de fabulae exitu adhuc celandi *sermonis iam nihil audiant?* In hoc enim

non minus cunctationis v. 656 indicatae causam positam existimamus. Non ergo mirum, si servus v. 661 sic fere loquitur: ‚Ich will jetzt hineingehen und sorgen, dass die Gäste das Nötige bereit finden: dabei will ich dann auch den Stratippocles aufklären darüber, welch' feinen Plan ich nunmehr habe (cf. v. 661).' Verba enim illa ‚quae ego scio' ad praeterita minus quam ad futura spectare haud scio an nemo ignoret (cf. *Pers.* IV, 6, 2 Quid ei nummi sciunt sc. facere? = Quid eis nummis faciendum est? Was haben diese Thaler zu thun sc. dass sie fehlen? Sic hic quoque: Quae ego scio sc. facere = quae mihi facienda sunt, ‚was ich als meine nächste Aufgabe erkannt habe;' cf. *Trin.* III, 3, 37 ed. *Gron.*). Ad v. 660—62 quod *Weisius* monuit Thesprionis inductionem postea auxilium non ferentis prorsus supervacaneum esse et ab arte poetica abhorrere quam maxime (cf. *Geppert.* stud. Plaut. I pag. 78 idem reprobrantem), memoria repetendum est Thesprionem post v. 80 in Chaeribuli domum abiisse (v. 67 sqq.) neque adhuc in scenam revertisse. Id quum poeta oblitus non sit, occasione oblata commode eum revocat, *non auxilio sibi*, quod *Weisius*, deceptus falsa interpunctione aut lectione in fine v. 166 (non praesto est mihi edit. *Weis.*), voluisse videtur, sed ut sorori inventae Stratippoclique *officia praestet*: nam huius praecipue Thesprio servus est. Ceterum Thesprio *non prodit*, ut arbitramur, sed intus versans ab Epidico iubetur alia via — per hortos — Periphanis domum petere:

Thesprio, dort hinaus! Durch die Gärten nach Hause! (secum)
Mir nützet
Trefflicher Zufall! . . . .

Retractationis vestigia consulto factae non magis hic apparuerunt quam in v. **724—31**, qui *Goetzio* ‚ex duplici recensione videntur consuti' nec non *Hasperum* offenderunt l. s. s. pag. 29. Quamquam enim versiculos illos 724—727 abesse posse non infitior, tamen eos et v. 728—31 parallelos esse habendos ne initio quidem versuum 724 et 728 plane gemello (cf. *C. F. W. Müller* l. s. s. pag. 634) satis evincitur: nam antequam eicere velim lepidam illam gradationem, qua

servus manus non prius solvendas porrigit, quam senex ipsi primum soccos, tunicam, pallium, tum libertatem cibumque supplicio se daturum polliceatur atque etiam iniuriae non illatae veniam petat a servo magnificentissime se iactante, quem cruce digniorem esse quam praemio spectantes non fugit, satius duco suspecta illa vocabula ‚nunquam hercle hodie‘ secundo loco mutare — *si quidem medela opus est,* — et ex. gr. conicere

Núnc iam hercle hodie, *sí med* orasseis, sólves etc.

Sic servus lepide usque ad finem gradatim senes minoris facit: nam quum iam manus solvendas porrigit, Periphanis sedulitatem retardat iterum summumque postulat:

Jetzt magst du heute mich, traun! — *wofern du schön bittest noch,* lösen.

Accedit, quod certe iam satis compressus est fabulae finis, et quamquam sup. pag. 20 sqq. hanc rem simplici ratione explanare instituimus, tamen male Plauto eum existimamus morem gerere, qui vel minimum ex ultima scena removeat.

Liceat hoc loco leviora quaedam perquam breviter perstringere atque attingere, quae si supra quaestioni admiscuissemus, gravissimarum rerum contextum inique turbavissemus. Atque primum in *Langrehri* scrupulos inquiramus l. s. s. p. 16 sqq. relatos, quibus quae in dubium vocantur haud scio an omnia ad unum si non teneri, tamen sanari possint.

Quod enim ad v. **107** (*Gz.*) monet mirum esse, si Chaeribulus Stratippoclis amicam *genere prognatam bono* dicat, cuius origo ex universa fabulae ratione ne fratri quidem nota sit, vir doctus id certe neglexit Chaeribulum nihil aliud videlicet proferre, quam quae ab illo audierit, Stratippoclem ergo ipsum sine dubio puellam ‚bono genere natam‘ exhibuisse, non quod de parentibus eius quidquam compererit, sed quia moribus suis ingenua ei videbatur; neque enim veri dissimile est amicam consulto adulescentem spuriam originem celasse aut etiam falsa pronuntiasse. Ceterum *Weisius* quoque eundem v. 107 vituperat Stratippoclis *pudorem ineptum* dicens, quum adulescentem

etiam antea non puditum sit fidicinam amare; inique, si quid videmus. Non verus enim atque sincerus est pudor ille Stratippoclis; non *amoris* eum pudet captivae puellae, sed *rumoris* inde coorti, quod amicam de praeda mercatus danista comitante aperte in militum agmine Athenas secum adduxit, non sine inimicorum quorundam cavillatione, si quidem v. 109 sqq. aliquam vim concedimus. Atque re vera *amoris* poeta vers. illis 106—107 mentionem facit nullam. Illorum omnium in priore amica mercanda nihil erat timendum: nam quum contigisset, ut pro filia ea emeretur, quid erat Stratippocli pudendum quod liberandam eam curaverat? Non amorem igitur, sed rumorem, quem adulescens verebatur, pudoris illius causam fuisse putamus, quem Stratippocles amico indicaverat priore sermone, quo colloquentes poeta eos inducit: cuius sermonis vestigia quum iam supra tetigimus, tum *pudoris* commemoratione v. 107 non minus quam vers. 112 et 116 ea apparere arbitramur. Discimus enim his versibus Chaeribulum illo colloquio sodalem de pecunia consolatum esse, quomodo potuit, quare, quum postea auxilium rogatus nihil promittat, neque opprobrium non exspectatum neque iniustam amici reprehensionem divinamur, quod *Weisius* quidem voluit. — Ad *Langrehrium* ut revertamur: quod v. **145** exstat ,Meam domum ne imbitas' nihil aliud quin hoc velit quam ,komm' mir nicht unter die Augen' vel ,Betritt mir nicht meine Schwelle' nobis adeo dubium non est, ut neque de Periphanis neque de Chaeribuli aedibus quidquam statuamus. — De v. **153** (148 *L.*) sqq. et 653 (736? *L.*) quum supra scriptorum (pag. 25, p. 20 sqq. cum annot. 21) memineris velimus, iam ponderemus, quo iure *Langrehrius* in v. **457 sqq.** (III,4 *L.*) haesitet dicens neque cum Epidici consilio neque cum fidicinae opinione congruere militem resciscere, ubi Acropolistis habitet. At, quaesumus, quid empta priore puella Epidici interest, utrum miles resciscat, quo illa ducta sit, necne? Periphanes filiam eam putat; licet igitur ille emendae puellae causa senem adeat, periculum non est, ne venumdata filio praesto non sit. Si igitur ponimus — quod intra tempus ex emptione illa peractum facillime fieri potuit, — militem Acropolistidis domicilium

recens indagasse, priusquam altera fraude instituta arcendi eius necessitas servo apparuit, iam non habebat, quo fatali militis adventui occurreret, etiamsi volebat; et re vera tam iniquo momento ille adventat, ut nemo non sentiat Epidicum rei aut non aut frustra prospexisse. Ceterum *Langrehrium* rogare velim, quonam modo ipse fraudes servi in lucem prolaturus sit, si omnia huic prospere eveniant? Licet servus caute hoc quoque prospexerit, *unum* certe secus procedat necesse est, in eoque discrimen positum videmus, quod miles Periphanem fidicinamque convenit, sive servus huic rei obluctatus est, sive non. Quod de fidicina attulit Acropolistidis domicilii ignara, nescio an ipse non putet militem amatam puellam ubiubi sit quaerentem diligentius quam fidicinam quamvis amicam (cf. v. 504) illam investigasse. — In aliis locis *Langrehrius* de lana caprina certavit[41]) non minus quam *C. H. Weisius,* qui quamquam l. s. s. aliquot in versiculis rectum divinatus est — cf. v. 110, 599, 632, fortasse etiam 643, ubi ‚tace' vocem offendit a *Seyfferto (Burs.* annal. XXII p. 79) et *Ussingio* in *vale* emendatam, in *valet* ab illo *Goetz.* ed. Curcul. p. XVIII; quamquam nos sanandi loci necessitatem absolutam non videmus —, in longe plurimis perverso iudicio ducebatur. V. **164—165** — de v. 107 cf. pag. 45 — cum *Weisio* supervacaneos habere animum inducere non possumus. Nam quum poeta Epidicum postea v. 181 ex Chaeribuli domo egredientem faciat, antea significare debebit, cur illam intraverit; quid autem aptius memoret servus quam se adulescentes moniturum esse, ne foras exambulent? Non ignorat quidem Stratippocles sibi cavendum esse, ne patri obviam fiat (v. 70); at, quaeso, ubi servus eos offendit? Aperta via, ante Periphanis aedes colloquuntur, ubi ne a sene opprimantur periculum est manifestissimum. Consentaneum ergo putamus Epidicum eos monere, ne iterum tale periculum subeant, praesertim quum eius ut electi adiutoris plurimum intersit, ne quid ineptum fiat (cf. qu. seq. ad v. 320). — Quomodo v. **207 sqq.** acciderit, ut senes quamquam foris versati de militum adventu nihil audirent, hoc minus cum *Weisio* in poetae neglegentia ponere velimus. Quis enim neget in urbe

tantae magnitudinis facile contingere posse, ut, quodcunque in qualibet regione fiat, homines fugiat, qui alia loca ab illis remotissima forte perambulent? Etenim dictum non est Periphanem cum Apoecide per eas urbis vias measse, quas militum plenas se vidisse Epidicus v. 208 simulat. Iam quod v. **320** adulescentes, quamquam ab Epidico moniti, securitatis cura neglecta domo Chaeribuli egrediuntur, per se ipsum quidem hoc praesertim v. 207 comparato offendit, id quod *Weisius* recte exhibet. Sed si simplicitatem apparatus scenici animo repetimus, qua Plautino quidem tempore nulli ornamentorum proscenii varietati locum fuisse veri simillimum est (cf. *G. Hahn.* scen. quaest. Plaut. p. 6 sqq.), tantum abest, ut poetam vituperemus, cui Stratippocles aut per totam fere fabulam actione secludendus aut cum illo periculo in colloquium reducendus erat, ut adulescentem *exspectandi cruciatu* ex aedibus elicitum fingens (v. 320—322) felicissime rem instituisse nobis videatur, quum ita uno saltu duos capros ceperit argumento pariter respecto atque probabilitate. — V. **382** **sqq.** Periphanem, amantissimum filii patrem, poenitere coepit consiliorum, quae in illum machinatur, quum solidorum ipsius malefactorum in adulescentia non oblitus sit; sed Apoecidis cum praeda advenientis aspectu tales animi motus infringuntur celerrime, quos hoc loco ineptos et a re alienos esse non satis est simpliciter contendere (*W.*), sed ratione certa monstrandum. Neque rectius *Weisius* vidit in v. **526** **sqq.** explanandis, ubi spatio viginti fere annorum parum tribuit, qui ex Telestide genita intercesserant, formaeque mutationem, qua quum Periphanem tum Philippam ut mulierem admodum defloruisse consentaneum est, silentio dissimulavit: per totum autem illud tempus non convenerant. Praeterea Periphanem de Philippa ducenda consilium certum nondum cepisse videri supra diximus pag. 11, qua re satis indicetur, cur senex amicam cum cautione quadam excipiat. — V. **675**:

Duódecim deis plús quam in caelo deórumst immortálium
Mihi núnc auxilio áditores súnt et mecum mílitant — —

doctos ad hunc diem vexaverunt, cf. *R. Müllerum* de Pl. Ep.

p. 23 et *C. F. W. Müllerum* Plaut. Pros. p. 270 sqq., quorum ille emendat:

Duodecim di plusque quam in caelo adeost immortalium, hic *Duodecim di et plus* etc. suspicatur, nisi forte *duod. dei* alteri versui tribuendum sit, in priore autem *Plures di* aut *Nimio plus quam [quantum]* substituendum; nam inepta esse illa verba: Zwölf mehr als unsterbliche Götter im Himmel stehen mir bei. Nos vero causam non videmus, cur versum non liceat ita interpretari: *,Um zwölf Götter mehr als unsterbliche Götter* etc. i. e. nochmal soviel Götter, als im Himmel sind, stehen mir bei', ut igitur servus haec fere dicat: Duodecim dei Olympici, quos vulgo venerantur, me non potuerunt servare; sed alteri duodecim, ,nochmals ein ganzer Himmel', cum eis se coniunxerunt, ut me iuvarent! Quo quid festivius dici possit, non inveni (cf. insuper v. 610 sqq.). —

Hoc ergo modo incommoda in singulis Epidici locis quibusdam visa accuratius ponderantes omnem et interpolationis et retractationis suspicionem ab fabulae filo longe abesse iam satis, ut opinamur, effecimus, nec dubium nobis est, quin *Goetzius* praeter ipsius exspectationem Epidicum, quod *ad argumentum* quidem attinet, non qualem retractator septimi saeculi a. u. c. nobis reliquerit, sed qualem Plautus eam composuit, recensuerit (cf. Epid. praef. p. XXI); aliud vero recensionis, quam vocant, posterioris et interpolandi genus ad continuam codicum discrepantiam referendum atque ab illis retractationibus longe diversum (cf. *Hasper.* l. s. s. p. 8), quod in omnibus Plautinis fabulis plus minusve apparet cum lacunis, glossematis, versibus transponendis, versiculis mendosis[42]) insulsisque sparsim intrusis aut aliunde petitis (cf. ex. gr. v. 109—111, de quibus *Hasp.* p. 15; *Goetz.* Anal. p. 235 sqq. ,Dittographien'), quoad adhuc respectum non est, praetermittendum esse putamus, quandoquidem nunc de universi argumenti probabilitate, non de librorum vel aliquot versuum fide quaeratur et varietas illa iterum videlicet actis

fabulis orta, ut reflorescentem VII. saeculi a. u. c. comoediam redolet, ita unius pluriumve ratractatorum consulto interpolantium sedulitatem nullo modo evincat, cf. *Ussing.* ed. Epid. p. 244 sqq. Ceterum *M. Niemeyerius* generatim huc pertinentia rectissime monuit dignissimaque, quae in pectus demittantur, vid. Phil. Wochenschrift ed. *W. Hirschfelder* Berol. 1881 p. 41. — Remotis igitur eis, quae *R. Müllerus, C. F. W. Müllerus, Langenius, Ussingius, Hasperus,* alii hic illic tentaverunt, si οἰκονομίαν, ut ita dicam, spectamus, non est, cur strictiorem desideremus; artissime enim omnes fabulae partes inter se cohaerent eaedemque ita inter se dispositae sunt, ut haud difficile sit cognoscere, quoto versu poeta singulos actus finiverit.[43]) Rem ipsam Plautus ita instituit, ut Epidici prior fraus primo actu ut integra referatur, altera secundo tertioque festivissime instituta insequente temporis intervallo patretur, deinde utraque servi fallacia iniquo rerum concursu quarto patefiat, denique omnia pericula scelesto capiti imminentia singulari quodam fortunae favore quinto profligentur. Quemadmodum autem unaquaeque scena huic dilucidae disponendi rationi conveniat, et longum est demonstrare et supervacaneum, quia nihil poetam sine certo consilio molitum esse sibi persuaserit, qui sine ira et studio fabulam perlegerit. Idem fere de *personis* dicendum est, quibus eaedem virtutes neque maiores maculae insunt, quam quas Plautinis comoediis communes esse *G. A. Beckerus* in quaest. de comic. Rom. fabul. parte altera (‚Vindiciae comoed. Rom.) recte monuit, ubi quum offensiones in hac quoque fabula admodum valentes de querulosa epheborum inertia senumque stolida credulitate proferuntur, tum Epidici servi laus egregie praedicatur,[44]) imprimis, si quid videmus, ob festivam eius dicacitatem atque facetiarum frequentiam, quibus ne in summo quidem discrimine rerum deseritur.[45]) Sed aeque hac in re atque in *sermonis colore vigoreque* aestimando in laude doctissimorum virorum erit acquiescendum, quandoquidem haec uniuscuiusque *sensui* tam unice sunt subiecta, ut *argumentorum* momenta, qualibus adhuc sententiam tueri studebamus, afferri non possint. Si dis placet, alio loco

uberius exponemus stili non similitudinem, sed congruentiam et in singulis versibus et universo contextu conspicuam, unum orationis colorem, eandem facetiarum protervitatem, eandem in re seria gravitatem, eandem de vita rebusque summis existimationem, quae Plautinis omnibus communia esse *G. A. Beckerus* l. s. s. diserte persecutus est, in Epidico quoque apparere atque eminere, immo hanc fabulam ceterarum plerisque praestare. Neque vero nunc quidem est, cur rem metricam ita tangamus, ut de Epidici auctore inde quidquam efficiamus, quum doctissimorum virorum editionibus quaestionibusque iam satis monstratum sit, quemadmodum Plauti praeclarum ingenium ut in ceteris fabulis ita in Epidici numeris eligendis, variandis, componendis certas leges secutum singulare se praestiterit.

Quoniam igitur Epidicum non minus quam aliam quamvis Plautinam comoediam moribus, salibus, numeris, stilo Plauti quum aevum tum facetissimum ingenium resipere fere omnes senserunt, relictis iam ceteris argumentis fixum et statutum videtur nos non errare, si Plauto hanc fabulam Varronis auctoritatem secuti sine haesitatione vindicamus. Atqui peropportune Epidico accidit, ut *Ritschelii* scrupulos manifestis argumentis ex animo evellere liceat.

Atque primum recordemur triti illius versus in Bacch. II,2,36 (214 *Ritsch.*), quo poeta ipse Epidicum suam summis laudibus effert:

Non rés, sed actor míhi cor odio saúciat;
Etiam Épidicum, quam ego fábulam aeque ac me ípsum amo,
Nullam aéque invitus spécto, si agit Péllio.

Integros hos versus certe nulla re in dubium vocare cogimur. Nullane? Minime vero. *K. H. Weisius* suum esse putabat monstrare[17]) doctissimos omnes viros incredibili quodam sopore et animi perversitate captos non animadvertisse quum multos Plautinarum fabularum locos tum totas fabulas interque eas Bacchides ab inepto poeta compositas esse, quod idem de Epidico universa contendere non dubitavit. Etiamsi

fortasse sufficiat ad *Ritschelii* aliorumque iudicia provocare, qui iniquas atque falsas quorundam de Plauti operibus opiniones summo iure perstrinxerunt,[48]) tamen facere non possumus, quin proferamus, quae de loco illo Bacch. defendendo ex usu sint.

Doctus enim ille homo totam actus II scenam alteram interpolatam esse suo modo (‚Machtsprüche des Herrn Weise', ait *Ladewigius*) nobis planum facturus de loco, quem supra scripsimus, haec fere proponit: incommodas esse tales artes scenicas, et quamvis admiranda sit admodum ratio, qua poeta actoris vituperationem fabulae intexuerit, tamen certissimum esse locum illum a Plauto non proficisci (l. s. s. p. 33 sqq.); nam malitiam illam alienissimam esse ab eius indole et hominem pusilli animi prodere, qui ingenio ad dolos vero poeta indignos abutatur (l. s. s. p. 99 sqq.). Quod primum *K. H. Weisius* censet incommodas esse tales artes scenicas, equidem ei annuere non possum. Perstringit poeta scenicum, cuius virtute aut vitio fabula stabat aut cadebat; quo alio modo, quaesumus, ei licebat spectantibus persuadere, non poetae, sed scenici culpa fabulam cecidisse? Fac fabulam illam, — neque captio in hoc est, — quum a Pellione iterum atque iterum disperderetur, non Plauto soli displicuisse, sed etiam spectantium stomachum ita movisse, ut veram offensionis causam ignorantes non scenicum, sed comoediam ipsam damnarent: quis est, qui poetam vituperet, si multitudinis opinionem de Epidico captam quoquo modo corrigere studebat? Recentiores videlicet poetae histrionum ineptias aequioribus animis ferant, quandoquidem sexcentis auxiliis cautum est, ne opus admiratione vere dignum iniquo iudicio laboret. Quam aliter hoc se habebat priore quidem Romanae comoediae aetate, qua quum spectaculo ipso tantum spectantium iudicia ducta sint, nemo merito dicat incommoda arte scenica Plautum usum esse, quum carissimo opere disperdito nocentem scenicum in posteriore fabula perstrinxerit, praesertim quum alia defendendi ratione prorsus caruerit. — Sin autem quis intempestivitatem totius loci offendat, quo alio loco versus illos collocare malit? Ab argumento Bacchi-

dum rem abhorrere ne lippus quidem negabit. Sed si poetae licebat in Graeca fabula Romana loca moresque Latinos depingere, si ut prologis argumenta suppleret poetae concedebatur choragumque Atheniensem certissimi Quiritis sermone utentem induceret,[49] quis eum obiurget, si semel Pellionis mentione spectantes ad proprias personas atque tempora deduxit? Quod autem semel hoc fecit, ut scenicum notaret, id ipsum malitiae opprobrium satis infirmat. Nam quum optimo iure coram spectantibus actorem vituperasse nobis videatur et semel tantum, quod nos quidem sciamus, hoc fecerit, utrumque eum pari modo calluisse sentimus, et scenicorum vitiis indulgere et proprii operis dignitatem, quum res postulabat, servare. Et hoc ambiguitate vocis *‚actor'* usus tam eleganter et facete fecit — quod ne *Weisius* quidem negat neque quisquam iure negaret, etiamsi ad tralaticiam lectionem *herus* pro *res [Ritscheli]* reverteremur, — ut *Weisiorum* profecto iudiciis opus esset, quae sibi persuaderent omnes priores grammaticos, omnes promiscue homines literatos stolidiores fuisse, quam qui inepti poetae sedulitatem insulsam perspicerent.[50]

Post hanc digressionem non exoptatam, in quam *K. H. Weisi* libello abrepti sumus, illuc redeamus nihil causae esse, cur versum illum Bacchidum pro spurio habeamus; quod si cum *Ritschelio, R. Müllero, Ladewigio* statuimus, id quoque liquet Bacchides cum Epidico artissime esse coniunctam eidemque poetae utramque deberi. Atqui non solum temporum et rerum statum in Bacchidibus ad Plauti aevum spectare iam *Ritschelius* parerg. VII ‚de Pl. Bacch.' pag. 391 demonstrare felicissime instituit, sed etiam Pellionis commemoratione, quem Plauti actorem eumque malum fuisse constat (cf. *Ritsch.* l. s. s. p. 262 sqq.), poetam illum Bacchides finxisse satis discimus.[51] Ergo Epidicus Plauto debetur.

Denique hoc unum mentione dignum est. Non Bacchides tantum sed Epidicum quoque post annum DLX a. u. primum in scenam prodiisse de illa *Ritschelius* praeclare ostendit (Parerg. p. 391 sqq.), de hac aliorum sententias inita subductaque ratione examinantes (cf. excursum pag. 55) nobis persuasimus.

Inclitum sine dubio tunc poetae nomen iam erat; magna cum spe voluptatis unaquaeque fabularum eius non a plebe tantum sed etiam a doctioribus nobilibusque viris iam exspectabatur et difficillimum erat falsam comoediam Plauti operibus admiscere eoque magis, quod per aliquot annos iudicia Romanorum ad certiorem rationem et disciplinae normam admodum directa erant. Ambigua igitur ut sit earum fabellarum origo, quae temporis notitia prorsus destitutae sunt: repellantur, si cui libet neque aliae causae obstant, in numerum vel priorum, quae ut ignoti poetae tirocinia agresti atque incultae multitudini nondum auctoris quaerendi curam iniecerant,[52]) vel posteriorum, quae increbrescente post Plauti obitum comoedia inter certas eius fabulas in pulpita revocatas (cf. *Ritsch.* parerg. p. 118) sub ipsius nomine scenas inundare coeperunt: id quidem teneamus, omnes eas prae ceteris Plauto vindicandas esse, quae certis causis ad annos illos referendae sunt, quibus poetae ingenium atque honos clarissime florebat, simulque perfectione sua tam insigni poeta indignae non sunt: quod utrumque in Epidico pariter valere magnopere gaudemus.

Excursus
de actae Epidici tempore.

Ex quo ineunte hoc saeculo homines docti maiore cum cura palliatae fabulae principis memoriam repetere coeperunt, non parva cupiditate temporis, quo primum quaeque comoedia spectata esset, investigandi incendebantur et titulorum (cf. *Ritsch.* par. p. 250, 301) auxilio duobus exceptis carentes e rerum quarundam commemoratione certos terminos statuere conabantur. Nostrum igitur erit res ab aliis disperse et profuse de Epidico prolatas unum in locum cogere et unum sub aspectum subicere.

Innixi versibus illis Bacch. II, 2, 36 (cf. supra p. 51) ab initio omnes, qui hanc quaestionem tetigerunt, quod ponendum erat, ponebant, Epidicum ante Bacchides in scenam prodiisse. Sed quid inde discimus? Potest enim ita Epidicus non minus prima quam paenultima Plauti fabula haberi, quare non mirum, si doctorum sententiae hac de re in contentionem venerunt. *Windischmannus,* qui aliorum ut *Niebuhri, G. Hermanni, Koepki, Ritteri* vestigiis insistens singularum fabularum temporibus statuendis operam dedit (Mus. Rhen. I p. 110 sqq.), de septem comoediis interque eas de Epidico nihil se iuvenisse fatetur, unde certum aliquid ducere liceat: quum Epidicum iuxta Bacchides ‚mirum quantum Graeci poetae exemplar redolere‘ sentiret, id quidem contendere poterat, Epidicum in recentioribus esse ponendam, quoniam Romana iudicia paulatim meras Atticas fabulas adamasse non latet. — Post *Windischmannum Petersenius* in *Zimmerm.* diurn. antiq. stud. a. 1836 p. 606 sqq. certum annum statuere conatus alteram didascaliam earum, quas *A. Maius* non ita magna cum cura primus ediderat quarumque priorem *Windisch-*

mannus Plauto vindicans falso ad annum DLIV a. u. (DLIII exhibet *Ritschelius,* fastis Capitolinis innixus) rettulerat, Epidico tribuit et probatis *Windischmanni* argumentis anno DLIV eam in scenam prodiisse sibi persuasit, quod quam sit falsum *Ritschelius* dissertatione sua ‚Die plautinischen Didaskalien‘ (par. p. 249 sqq.) et *Ladewigius* in *Zimmerm.* diurn. antiq. stud. a. 1841 p. 1080 sqq. satis demonstraverunt. Quum igitur literati illi homines inania captarent, alii sententiam nescio qua cogitatione moderati ad priores Plauti annos Epidicum referrent, ut *S. Visseringius,* qui l. s. s. non sine cautione scripsit Epidicum *fortasse* prioribus adnumerandum esse propter I, 1, 28—31, II, 2, 13, et nuperrime in editione sua *Ussingius,* certum fundamentum iam *Ritschelius* iecerat quaestione sua ‚De Plauti Bacchidibus‘, qua hanc fabulam a. DLXV (DLXIV ap. *R.*) vel paulo post primum spectatam esse argutissime vicit et ita primus terminum certum constituit, ante quem Epidicum actam esse oportet. — Non ita multo post *Naudetus* quidam Francogallus simili ratione usus in Diar. erud. Francogall. a. 1838 p. 412 sqq. Epidicum una cum ceteris Plauti fabulis examinavit et multis profecto animum advertens, quae hac in quaestione usui sunt, anno DLIX a. u. fabulam tribuit (‚.... le Poenulus venait avec Epidique et l'Aululaire soutenir la reputation du poëte en ce temps (DLIX); c'était l'année du consulat de Caton ....‘ p. 422). Primum monet v. 29—36 nobiles illos Romanos tangi, qui quamquam apud Cannas fugissent, nihilominus ad summos honores pervenerint, quum gregarii milites ex illa clade superstites ob eandem fugam in Siciliam relegati sint, cf. Liv. XXV, 7; nimirum plebem suo iure hoc aegre tulisse et tempore opportuno magna voce patriciorum iniuriam accusavisse. Iam quo alio hoc facilius fieri potuisse quam illo anno, quo Cato severus consul fuerit? Intra hunc igitur annum (DLIX) Plautum a Catone stantem in Epidico sua patricios cavillatum esse. Eundem vero castigatorem morum deflorescentium ex acerba illa reprehensione libertinorum divitum cognosci, qui meretricibus totos fundos donare possint, tributum imperatum pendere non possint. Sin autem quis audacius haec posita

esse censeat, meminerit legis Oppiae luxuriem mulierum cohibentis, quae Catone cos. a. CLIX non sine magno stomacho ipsius consulis contradicentis abrogata sit, cf. Liv. XXXIV, 1 sqq., quo cum loco si Epidici v. 229 sqq. conferamus, quibus multa variaque mulierum vestimenta certae originis Latinae numerentur, fieri non posse, quin nobis persuadeamus Plautum Epidicum brevi post Catonis repulsam docuisse. Tertium autem profert *Naudetus* vestis cuiusdam novae commemorationem, ‚Laconicum' appellatae, quae sine dubio e Flamini victoriis Nabidisque clade originem traxerit. — Denique *Ladewigius Naudeti* scriptorum, quae ne uno quidem verbo tangit, manifesto expers eisdem fere locis innixus similia commentus est. Et ipse enim in dissertatione (*Zimmerm.* diar. antiq. stud. a 1841 p. 1079 sqq.) versibus 229—34 maximam vim tribuens Laconicique vestis originem ut *Naudetus* ad Nabin referens poetam non multo post a. DLIX Epidicum condidisse sibi ideo persuadet, quia versibus illis Catonis severa ratio *illudatur,* quod non nisi paulo post eius consulatum commodum fuerit.

His igitur argumentis — recentiorum nemo certius quidquam statuit, *Visseringio* enim *Ussingio*que exceptis (cf. pag. 56) aut tacent aut *Ladewigium* sequuntur velut *Teuffelius,* qui in ‚Studien und Charakteristiken' p. 262 Epidicum circa a. DLX doctam esse monstrari *posse* exhibet, quocum cf. eiusdem historiae literar. Latin. ed. IV (1881) p. 149. De *Wagneri* opinione cf. q. s. — *in Catonis aevum identidem revolvimur*, sive facimus cum *Naudeto*, qui sectatorem, sive cum *Ladewigio,* qui irrisorem Catonis poetam illis locis se professum contendit, sive denique vel in re universa vel in singulis versibus explanandis alterutrum cum aliis similia divinantibus somniasse dicimus (cf. *Goetz.* in Anal. Plaut. p. 114 annot. 14, *Wagner*. de Aulul. p. 16 annot. 33 et p. 34). Idque meritissimo. Licet enim v. 229 sqq. interpolatos esse fingamus, *iam antecedentibus versiculis 222 imprimisque 226* nemini adhuc suspectis palam fit mulierum luxuriae tum nulla lege cautum fuisse. — Atqui multis aliis rebus non minus[53]) quam *Ritscheli* sententia (cf. annot. 52) adducimur, ut pro-

fectiori Plauti aetati fabulam tribuentes non cum *Visseringio* aut *Ussingio* de tempore legem Oppiam praecedente cogitemus, sed ab eo demum anno, quo illa abrogata est, proficiscamur i. e. a. DLIX a. u.. Et vero si Epidici mentionis in Bacch. factae recordamur, quam DLXV aut brevi post primum spectatam esse nunc nemo fere dubitat concedere, vel remotis v. 229—34 sexennio Catonis repulsam insequenti sine ulla haesitatione fabulam adiudicabimus.[54])

Atque in hoc acquiescendum erit eis, qui versus illos re vera delendos censent: nam excogitari non potest, qua causa ad a. DLX potius quam posteriorem quemlibet accedere malint, neque audiendus est *Naudetus,* qui *brevi* post Catonis repulsam poetam effusam luxuriem reprehendisse vult. Nos autem quum supra p. 28 sqq. non in frigidum furnum panes immisisse nobis videamur, ratione admodum simplici certiorem terminum statuere conabimur. E Bacchidum enim illis verbis II 2, 36 sqq.

Nullam aéque invitus spécto, *si agit Péllio*

apparet atque eminet Epidicum iterum ac saepius fortasse iam spectatam esse, quum Bacchides ipsa in scenam prodiret, quod iam *Reinhardtum* nov. ann. v. 111 l. s. s. monuisse invenio. Porro si ex raritate ludorum scenicorum (cf. *Ritsch.* l. s. s. p. 288 sqq.) suspicari licet comoedias illo tempore non citius esse iteratas, *uni vel alteri anno ante Bacchides* i. e. a. DLXV — si Bacchides *post* DLXV ponimus, cf. *Ritsch.* l. s. s. p. 427: ‚annum u. c. DLXIV (i. e. DLXV) credo eum fuisse, quem *non longo intervallo* secuta sit eius fabul. Plaut. actio' i. e. Bacchidum — aut DLXIV, aut DLXIII summum Epidicus debetur, quo longius redire quum sententia supra p. 52 relata, qua Plautum explosae fabulae defensionem quam primum suscepisse veri simillimum est, tum copiosa illa vestimentorum enumeratione in Epidico ipsa vetamur. Nam ‚Quae *quotannis* nomina inveniunt nova!' Periphanes vociferatur, quod non dicere potuit, nisi tum per plures iam annos e lege Oppia abrogata luxuria muliebris in publico ostentata erat: neque minus abundantia cultus reprehensi tantum temporis intervallum desideratur, quum vincta licentia prioris aevi uno

alterove anno post legis abrogationem tantam novorum nominum colluviem fieri non potuisse vix quisquam iure neget. (Simili modo *Ladewigius* ad Aul. tempus statuendum de intervallo ex Oppia lege peracto cogitat in *Zimmerm.* diurn. ant. stud. a. 1841 p. 1085 sqq., cf. praeterea *Wagnerum* l. s. s. p. 24). Denique quod ad annum DLXIII statuendum sententia nostra libentius inclinat: ex eis, quae de raris ludis scenicis poetaeque defensione modo attulimus, verisimilitudini quidem subveniamus quam maxime, si Epidicum a. DLXIII primum spectatam, DLXIV iteratam et saepius fortasse repetitam, DLXV ipsius poetae laude egregia ab iniqua spectantium livione vindicatam exhibeamus. Et vero annalium veterum memoriam replicantes ut Livi testimonio de scenicis ludis ad DLXI, DLXII, DLXIV annos referendis plane tacentis vim absolutam hac in re nullam concedimus, quandoquidem illos magna ex parte iam aliquantum temporis anniversarios fuisse constat (cf. *Ritsch.* par. l. s. s.), ita ab eodem autore comperisse iuvat ipsum DLXIII annum solemnibus Megalensibus aliisque ludis aedis Iuventutis dedicandae causa factis insignem fuisse (l. XXXVI, 36). Atqui Megalesia plures dies et ipsos ludis scenicis celebrandos durasse *Ritschelius* e Pseudoli exitu eisdem ludis doctae coniecit. Quid igitur? Meminimus quidem alicubi nos legere alium quemlibet eadem ratione aliam Plauti fabulam ‚crastino' illi diei[55]) addixisse; sed ne ita quidem ludi scenici a. DLXIII Epidicum non capiunt.

De Graeco exemplari quae censeamus, alio loco uberius tractare in animo est.

Annotationes.

1) Ceterum cf. *G. Wagneri* dissert. ‚De Aulularia Plauti' Bonnae MDCCCLXIV em. pag. 10.

2) Si quis forte versum 231 a nonnullis spurium duci offendit, hoc nihil refert, quandoquidem Varro non ob hunc unum versum Plauto fabellam tribuerit, sed ideo potius eum Plautinum putabat, quod in fabula eum invenerat, quam certam esse iam prius persuasum habebat. Ceterum cf. quae p. 28 etc. sequentur. — De vocabuli *intusium* scriptura aeque atque etymologia quum certum quidquam non constet (cf. *Beckeri* Gall. III p. 118), non mirabere, si Nonium 539, 32 *indusium* scripsisse inveneris. Utrumque grammaticum eundem Epidici locum spectasse insequentibus verbis firmatur, quorum quae neglegenter sunt citata alio Noni loco (548, 24) rectius exhibentur.

3) cf. *Ritsch.* parerg. p. 92 sqq., p. 263 cum exc. IV p. 319 sqq., p. 286 sqq.; huc alius parergon locus spectat p. 298: ‚keinem Zweifel unterliegt es, dass die Gelehrten des Alterthums selbst die mehr oder weniger vollständigen plautinischen Didascalien in Händen hatten ....'

4) Antea dictum est Varronem eam ob rem XXI fabulas Plauto vindicasse, quod omnium priorum grammaticorum consensu huic concessae erant.

5) Vid. exempli gratia *Camerarium* apud Gronov. in ed. fab. Pl. (MDCLXIV) p. 350, *Lessing.* in l. ‚Von dem Leben und Wirken des Plaut.' ed. *Lachmann.* v. III, pag. 19, *Beckerum* in ‚Vind. com. Rom.' p. 62 (Quaest. de com. Rom. fab. max. Plaut. fab. Lips. 1837 p. alt.), *Ladewigium* in *Zimmerm.* Diurn. ant. stud. a. 1841 pag. 1079 sqq., *Schmitzium* in ‚De actuum in Plaut. fab. descr.' 1852 pag. 22, *Rich. Müllerum* in ‚De Pl. Epid.' diss. p. 1 sqq., *Bothium* in *Zimmerm.* Diurn. ant. stud. a. 1841 p. 274.

6) cf. *Wagnerum* l. s. s. p. 6 eiusmodi sententias universas comoediae novae fabulis inesse monentem.

7) vid. *Ussingium* repugnantia quaedam pari modo excusantem in ed. Epid. p. 244 sqq. Non de retractatione hic cogitamus, qua recentiores

poetae fabulas antiquas vario Marte tamquam in novas commutare instituerunt, sed de comoediis accuratius metrorum varietate servata sive soluta oratione magis fortasse perspicue translatis: quo autem modo res effici posset, iam satis cogitatione finxeramus, quum ex libro ‚Phil. Wochenschrift' ed. *Hirschfelder* 1883 pag. 412 comperimus Anglos eiusmodi ludis scenicis priscas illas Terenti Plautique comoedias nuper docere coepisse non alia ratione ductos, quam qua mihi res arriserat (‚Auch praktische Erfolge lassen sich nachweisen. Die Direktoren von Bath und Birmingham finden nämlich, dass ihre Schüler durch jene Aufführungen einen lebendigeren und klareren Begriff von Sprache und Leben und Denken der Römer erhalten.' *F. Haverfield* l. s. s.).

8) Rectissime *Reinhardtus* in *Studemundi* stud. vol. I p. 107 exposuit senes non Epidicum tantum quaesivisse, sed etiam filiam (v. 602), quam Athenis versari audiverant: quid patrem antiquius habere potuisse, quam ut hanc inveniret? Quod autem saepius servi quam filiae mentio fiat, id comico stilo tribuendum esse, cui senex servo iratus magis quam pater filiam desiderans convenerit.

9) cf. *Ladewig.* in Diurn. ant. stud. a. 1841 p. 1079 sqq., *R. Müllerum* in dissertatione ‚De Plauti Epid.' p. 13, *Goetzium* in Act. soc. Lips. VI p. 287.

10) Non silentio praetereundum est alia quoque ratiocinatione rem expediri posse. Quum enim postea v. 431 sqq. miles re vera de Acropolistide emenda adventet, quid verisimilius quam Epidicum adulescenti omnia, quae de milite comperta habeat, sincere eloqui, contra seni ut generatim de mulierculis et milite (v. 301), ita de patria eius imponere, praesertim quum ceterarum quoque comoediarum servi parem fidem in heros adulescentes, in senes eandem vaniloquentiam proferant? Utique locus neque contaminationis, neque retractationis subsidiis eget. Ceterum iam *R. Müllerus* l. s. s. simili modo de loco disseruit; quae *Langrehrius* Miscell. phil. Gotting. p. 17 observat, nostra in re nullius momenti sunt.

11) Epidici dicto (v. 181 sqq.) senum sermonem interrumpi, non ita continuari, ut spectantes nihil audiant, iam *R. Müllerus, Langrehrius* postea suo iure satis comprobaverunt, nec vereor ne hic lacunam illam p. v. 189 manifestam etiam nunc addubitet. Quae autem *K. H. Weisius* l. s. s. p. 181 censet, Epidicum inepte prius ‚st st' dicere quam senes conspexerit, nos quidem fugit, cur minus iam antea iuvenibus suadeat, ut silentio senes fallant, quod tunc quidem potissimum est.

12) Quamquam cum *Haspero Goetzius* de v. 179 dubitat, tamen illum sequi anceps sit totum versum delentem pro spurio atque lacunam statuentem: quid enim aptius illo loco poni possit nos non videre li-

benter confitemur. Si vero *Hasperus* se intellegere negat, quemadmodum verba ,Pulcra edepol dos pecuniast' apta sint Apoecidi v. 68—70 collatis, equidem miror, si doctissimus vir εἰρωνείαν non sensit sermoni illi immixtam: ,Ja herrlich bei Gott ist der Geldsack als Mitgift,' ad quae Periphanes respondet: ,Der Geldsack wäre so schlecht nicht, nur muss er *Mitgift*, nicht *Gemahlin* sein!' i. e. pecunia dotalis in uxore eligenda virtutibus eius postponatur! cf. hac de re Graecorum sententiam e comicorum fragmentis a *Meinekio* curatis satis superque perspicuam. — Ceterum anonymum illum, qui *Hasperi* coniectanea in l. ,Philol. Anzeiger' XII 1882 p. 490—93 recensuit, locum eodem modo defendisse quod *nuperrime demum* e *Bursiani* annal. phil. v. XXXI (1882) p. 77 comperi, ea, quae ipse iamdudum commentatus eram, supprimere nolui.

13) Sic *Hasperus* probabiliter conicit l. s. s. p. 22.

14) Num altera verbi ,imprudens' vis ad *stultitiam temeritatemque* spectans hic valere possit, qua scilicet explanatio evadat ideo multo simplicior, quod ita quinquaginta minarum numerus non offendat (,So wird der Wirt in seiner Dummheit und Unvorsichtigkeit sein Haupt zum Pfande setzen etc.'), in dubio relinquimus; nos ut priore *inscientiae* significatione nixi locum examinemus et locis supra scriptis adducimur et Epidici astutiae instituendae ratione, quam ex proximis verbis cognoscimus; nam si ille lenonem fraudis participem facere vellet, quid v. 367—68 opus esset, quibus satis dilucide explicatur, quomodo lenonem ipsum decepturus sit?

15) *Apoec.* Ego visam ád forum.
Epidice, eo vení.
Epid. Ne abitas, príusquam ego ad te vénero.
Apoec. Usque opperiar. (v. 305)

Haec locutus Apoecides in forum pergit et aliquanto demum post cum fidicina conducta ad Periphanem revertitur (v. 395), cui ,di deaeque te adiuvant' clamans rem bene actam esse refert. Per illud igitur temporis intervallum Epidicus fraudem suam confecit (cf. p. 106): ad lenonem certo se contulit prioris emptionis eum monitum (v. 363 sqq.), fidicinam tunc instruxit Apoecidique adduxit (v. 312 sqq., 372 sqq., 410 sqq.) patri tradendam, dum ipse se qualibet causa subducit, nimirum herili filio eventum nuntiaturus; eidemque intervallo doctissimi viri scenam illam inserere volunt, qua lenonis deceptionem ob oculos accuratius poni iam non cupiunt, sed flagitant, et operae pretium est videre, quonam modo personae fabulae ita cum lenone congredi possint, ut servi fraude salva scenam lepidam assequamur. Qua in re quum Thesprio, Stratippocles, Chaeribulus, Periphanes (cf. quae sqq.) eique omnes, qui post v. 432 prodeunt, praetermittendi videantur,

de Epidico, Apoecide, fidicina solis erit dicendum. — Atque primum quidem si Apoecidem, Epidicum, fidicinam una ad lenonem ire ponimus (cf. v. 410 sqq.), nemo erit, qui fieri posse contendat, ut dolus ita non detegatur. Nam quis sibi persuadeat Apoecidem coram lenone puellam simul adductam nullo verbo commemoraturum, sed tam generatim rogaturum, ut ille fraudem non sentiens (cf. p. 12) de priore puella cogitet et respondeat? Quae etiamsi fierent, non dubitaremus dicere poetam *vaniorem* dolum — ‚eine allzuwindige Intrigue' ait *Goetzius* in Act. soc. Lips. p. 285 — instituere non potuisse. — Deinde animo comprehendamus Epidicum ipsum cum lenone agentem induci: quam ineptum profecto hoc esset atque inane, si spectantes ea, quae fore iamdudum ab illo compererunt (v. 312, 363 sqq.), paulo post tamquam iterata videre cogerentur! Et licet fidicinam eodem secum ducat, quod per se veri dissimillimum est et claris eius verbis manifesto obstrepit (‚*solus* deveniam...' v. 365, ‚*iam* ego parabo....' v. 371 i. e. ‚*hierauf* werd' ich beschaffen'), tamen haec sermoni quidquam novi lepidive intermiscere non potest, sed tacens fraudem celare debebit. — At nemo tale quidquam voluisse videtur: *Apoecidem* certo cum lenone congredi e servi verbis ‚si qui ad eum adveniat' v. 365 coegerunt; hoc igitur num probari possit consideremus. *Epidicum* senex in foro exspectat, cui nihil magis cavendum est, quam ne Apoecidi sine marsupio (v. 345) et non conducta fidicina (v. 312) occurrat; hic enim ita non cunctetur puellam ipse empturus lenonem adire et fraudem nimirum detegat; quare bono consilio servus astutiam prius instituet, quam senem convenerit (cf. v. 312, 363, 371 sqq.); adducet ei statim conductam puellam, et quaslibet causas in ore habebit, cur opera eius spreta rem apud lenonem iam ipse confecerit. Qualis vero nunc fabula exstat, sine suspicione senem fidicinam excepisse videmus; at faciamus eum servi verbis diffisum ad lupanar pergere, ex tenebris eruendum erit, quonam modo hoc fieri possit: nam aut ambos illos senex secum deducet, aut fidicinam Epidicumve relinquet, aut denique solus lenonem viset. Quorum ut primum, ita alterum quoque a fraude perficienda prorsus abhorret; nam neque licet, ut supra iam diximus, fidicinam cum lenone congredi, sive servum adesse sive abesse mavis, neque fidicinam diligenter custodiendam (v. 294, 398) solam relinquet ita, ut *cum Epidico uno* lenonem conveniat; cf. quae *Langrehr*. l. s. s. p. 14 in notis dicit ‚Periphanes vel Apoecides vel ambo, vel alii senum legati, non, ut *Goetzius* miro modo vult, Apoecid. et ipse Epidicus. Certe tunc non ‚*qui*... adveniant' positum esset.' Unum igitur restat, ut fingamus *Apoecidem solum* de emptione requirere — de Periphane iterum ad v. 285 sqq. provocare liceat —, quod et Epidici verbis et v. 363 sqq. aptissimum est. Sed ut alia magnam huius rei desperantiam afferentia reticeamus, quorum id non minimum est, quod Apoecides quin coram Periphane (v. 395 sqq.) lenonem commemoret facere vix possit, nec

satis liquet, ubi interea servus et puella commorentur, quid, quaeso, novum lepidumve spectabimus, si senex cum lenone rem gerens inducitur? Iurabit videlicet hic se puellam venumdedisse, quo audito ille ad relictos cito recurret, ne adulescens Athenis iam versans (v. 409) institutum consilium ad irritum redigat. Atqui Plauti ingenium ab eiusmodi ineptiis alienissimum est, quibus spectantibus ea, quae fore iamdudum perspexerint (v. 365) atque re vera facta esse — si quidem senex lenonem adiit — fraudis eventu sentiant (v. 396), integra scena ob oculos ponantur; non mirabimur igitur, si nobis continget, ut efficiamus *Apoecidem illo temporis intervallo cum lenone congressum* ***non*** *esse.*

V. 291 enim Periphanes servo Apoecidem adiutorem dat; cruminam quidem Epidicus callide occupat (v. 295), sed hoc ad fraudem non est potissimum; nam quum omnia, quae cum lenone agenda senibus proponit, nugae sint, videndum est, ne Apoecides ipse negotium gerens dolum detegat; hanc ob rem servus prius fidicinam conducit (v. 312 sqq.), quam ad senem pergat, et imponit ei iam omnia rata esse. Hic confidit verbis et sine mora puellam Periphani tradit, quod sermo eius v. 396 sqq. manifesto testatur. Fortasse Epidicus etiam aliis senis negotiis (cf. v. 422) adiuvatur, ut hic rem oscitanter curet: id quidem nemo negabit, negotium sibi mandatum per totam scenam perquam breviter eum perstringere atque attingere consulto videri, nimirum quod sibi conscius est rei non diligenter se cavisse (cf. v. 358—59): nam servus cuncta perfecit, Apoecides solidus atque bardus, qualem se fingit (v. 420 sqq.), vere est. Quid autem fieret, si Apoecides et prudentior et minus credulus esset? Lenonem certo de puella interrogaret: ne igitur dolus spectantibus ab initio incertior videatur neve servus audacior quam callidior, ab initio studet poeta eos docere, quo modo hic iam rei occurrerit: *et hanc ob rem v. 364 lenonis mentio fit.* Atque id, quod modo explicuimus — non posse ea, quae v. 363 sqq. ut futura nuntientur, a quovis interpolatore post repressa antea integram scenam effecisse —, non minus valeret, si a *Weidneri* emendatione profecti essemus ‚Si *quicum* ad eum *veniam*' (cf. Advers. Plaut. ed. *A. Weidner* 1882 p. 18) ita, ut ‚quis' ille Apoecides sit. Nam cur servus ante fraudem perfectam non suspicetur senem a se postulaturum, ut ipse ad lenonem se ducat, quamvis postea rerum ordine discamus illud factum non esse? Ceterum iam *Seyffertus* in *Bursiani* annal. v. XXXI (1882) p. 78 *Weidneri* coniecturam improbavit scribens: ‚365 Si quicum (i. e. cum aliquo!)'. — Unum denique silentio praeterire nolo, quod ab adversariis meis ipsius lenonis personam desiderantibus stare videtur. Quum enim senes irati (post v. 606) servum simulque filiam veram (v. 719) ubique quaeritant, quo prius devertantur, quam ad lenonem? Is certo utriusque rei peritior sit quam quivis alius! Sed hac in re non *de fraude pangenda,* sed *solvendo nodo* agitur nec non sunt momenti, quae supra p. 21 de fabularum exitu monuimus. An licet putare senes ab

Epidico non ductos lenonem quaesivisse, sed non invenisse, quod ipsi nec domum nec hominem noverant? — Ut quaestioni modum statuamus: stolidiores vero essemus, si opinaremur adversarios iam repulsos esse, qui, unum ut afferam, dicant perversum esse ex ea, quae nunc est, fabulae conditione conicere velle, num hae vel illae personae suppressae scenae convenerint. Ne nos quidem dubitaremus, si omnia consilia frigerent, ad auctoritatem illorum confugere; sed quum liceat ex ipsa fabula argumenta sumentibus ratione admodum simplici universum locum expedire, non est, cur fabulam ita interpolatam et turbatam dicamus, ut integrae scenae sublatae ne suspicione quidem restitui possint et paene verendum sit Epidico Plauti nomen inscribere.

16) Merito enim *L.* flagitat, ut eiusmodi consiliorum mutatio a poeta aliquo modo indicetur; alteram causam, quam maioris momenti esse putat, ex eis, quae supra posuimus, probáre non possumus, nam ‚mixta miro modo et inter se confusa consilia' non deprehendimus.

17) Si eorum memoriam repetimus, quae Apoecides de fidicina disseruit, Periphanis quaestio mira videtur rogantis, quae quomodo puella sciat ex Apoecidis quidem relatione intellegi non potest; quamquam hanc quoque rem haud scio an elegantissime poeta apparaverit. Nam quum senex a milite quamquam ipso veri rerum status inscio certior factus sit fidicinam adductam non esse eam, quam ipse emendam curaverat, stolidissimus esset, nisi suspicaretur rem inter illam servumque convenisse; et recordatus tandem Apoecidem ne uno quidem verbo emptionem a se patratam dixisse, sed de una Epidici astutia verba fecisse, universam suspicionem de puellae dolo Apoecidisque socordia coortam his verbis eloquitur:

Mercátus te hodie est dé lenone Apoécides?

qua quaestione et fidicinae responso tota fraus cito corruit.

18) Necesse nimirum est fidicinam, si quidem nomina illa non comperit, prior pars altercationis fugiat, ita ut Acropolistidis mentionem v. 479 Periphanisque responsum non audiat; neque dubitamus, quin arti histrioniae nullo modo repugnet fidicinam aedibus eductam ab initio remotiorem stare quam ut verba illa audire possit; quae sequuntur vero, cur ei nota illa putemus, iam significavimus. Contra si Stratippoclis Periphanisque nomina novit, ex ea, quam modo instituturi sumus, ratione licet Acropolistidis commemorationem excipiat, tamen inde neque colligit illam ‚domi' esse (cf. v. 578 ‚hic alia nullast,' deinde v. 503 sqq., 400 sqq.), ut seni priorem quoque fraudem plane prodat, neque certo hac re adducitur, ut servum adiuvet. — Quod ad *Scaligeri* annot. ad. v. 417 (412?) ex exemplari *Leidensi* petitam attinet (v. *Goetz.* Epid. praef. p. XXI), libere fatemur nos non intellegere quo modo dici possit ‚in

turbas huius fabulae *accuratius* iam *Scaligerum* inquisivisse,' quippe cuius verba prodigii similia sint et vera falsaque mire commixta exhibeant.

19) ,Quomodo (quis) imprudentiam illius atque ingenuitatem defendet, qua Acropolistidem sibi notam et a Stratippocle, Periphanis filio, manumissam prodit? Revellit ita totam Epidici fraudem, quod, si socia eius facta esset, certe non fecisset.'

20) Post *Langrehrium C. M. Franckenius* in Mnemos. n. s. VII (1879) fasc. II p. 184—204 inter se repugnantia quaedam notavit, quorum unum sufficiat ponderare eorum, quae *Lorenzius* in *Bursiani* Annal. sc. ant. vol. XVIII p. 22 ut gravissima significavit — alterum enim (v. 314—318, 317—75 cum 500 sqq. collatos) iam supra expedire conati sumus. Offendit *Franckenius* v. 275 sqq.:

Quási tu cupias líberare fídicinam animi grátia
Quásique ames veheménter tu illam etc.,

quae causa emendae puellae nullo alio loco exhibeatur et a v. 410 prorsus abhorreat. Recte quidem; sed quod est potissimum, doctissimus vir neglexit. Nullo modo fieri potest, quin servi consilium ab Apoecidis relatione v. 410 sqq. diversum sit quam maxime. Suadet Epidicus Periphani, ut amicam praemercetur; sed non in servitutem — quod quin leno gravetur vix dubium sit —, sed in libertatem se eam empturum dicat simulque rei probandae causa ardore eius se flagrare simulet; tunc vero, ubi senex consilium probavit, sensim ille id adornat, quod ab initio petit, rem vel ita satis incertam esse dicens, si Periphanes ipse lenonem adeat etc., quo fit, ut marsupium ipsi tradatur et primo quidem fraus prospere succedat. Quid aliud, quaesumus, Epidicus senibus hisce verbis v. 257 sqq. obtrudit nisi nugas meras? Quodcunque enim suadet, *id postea non fieri* ad fraudem patrandam utique necesse est: in *consilium* vero unumquodque festivissime quadrat. ,Weisst du was?' — ait Epidicus — du gibst dich einfach für sterbensverliebt in das Mädchen aus; diesem plausiblen Grund gegenüber wird er keine Schwierigkeiten bezüglich des Verkaufs erheben. ...... Doch halt! *Selbst* darfst du nicht hingehen; das könnte die Sache verderben.' —

Iam videamus de Apoecide: qui quum dolis ab emptione vel conductione, si mavis, fidicinae retentus sit, non habet, quae seni amico de lenone nuntiet, ob eamque rem emptionis mentionem caute omittit: quomodo ergo senis amorem ut coram lenone praetentum tangat, nos plane fugit. An vult *Franckenius,* ut illis, quae servus inter eundum (v. 413) cum fidicina sermocinatus est, amoris heri quaevis mentio insit? Atqui non *puellam* ardore illo decipiendam esse, sed *lenonem* ex universa ratione, quam instituendam Epidicus seni proponit, satis apparet: immo, ne illa rei quidquam audiat, egregie est cavendum, ne ipsa gravetur

pro filio patrem adamare: neque alia causa Apoecides servum laudat, quam quod puellam tam facete nescire fecerit se Periphani emptam esse (v. 412). Ne longi simus: prior ille locus v. 275 sqq. ad *lenonem* solum pertinet, quo modo e servi consilio ipso quidem nequaquam serio de vera emptionis causa celetur; altero (v. 410 sqq.) servi astutia refertur, qua *fidicinam* fortunam celaverit, neque est cur hunc cum illo artius conferamus. — Iam liquet, quid nos de *antiqua illa forma* usque ad v. 385 pertinente cogitemus, quam *Franckenius* indagasse sibi videtur. *Ussingi* emendationem v. 285 lacunam repudiantis: ‚Nam te nolo neque opus factost' cum iam *Lorenzius* l. s. s. *Haspero* assentiente optimo iure probaverit, simul *Gepperti Ussingio* acceptam lectionem v. 288 *abs te* pro *haec te* tuentes v. 285—87 (*Gz.*) post 290 ponendos esse censemus.

21) De Acropolistidis Stratippoclisque futura conditione cf. v. 604, 643, unde militis quoque sortem conicere licet.

22) Cf. hac de re *Langrehr.* l. s. s. p. 16, cuius sententiam ut de contaminatione non probamus, ita de retractatione cum nostra ratione congruere non sine voluptate sensimus; quamquam autem, id quod serius nos animadvertisse propria sententia iamdudum chartis mandata dolemus, nonnulla eorum, quae modo tractaturi sumus, ab illo fere eodem modo explanata sunt, ut v. 5 sqq. et v. 37—38, tamen nostra reprimere eo libentius dubitamus, quo strictius *Langrehrium* de re egisse videmus: accedit, quod recentiore tempore alia prolata sunt, quae non neglegere nostrum erit.

23) *Ussingius Geppertum* secutus totum v. 9 Epidico tribuit, qua re nostra ratio non turbatur. Equidem *Gruteri* vestigiis innixus proponere velim:

Ep. Quíd tu agis? ut valés? *Th.* Exemplum adést. *Ep.* Intellego! Eúgepae!

24) Cf. *Langrehrium* sine emendatione rem ita expedientem: ‚Quasi vero non eodem tempore amico gratissima omnia precari possimus, quo nimiam eius festinationem, vel pertinaciam, vel similia exprobramus. Neque eiusmodi exsecrationes serio excipiuntur.' Atque hoc quidem certissimum est. — Nos quoque supra anxie codicum vestigiis innixi sententiarum ordinem atque originem genuinam tueri conati sumus, quo tantum effecisse nobis videmur, ut nosmet sine ulla dubitatione rem missam faceremus, nisi hoc ipso loco liceret eis, qui adhuc in actus primi statu tralaticio haesitent, exemplo commodo demonstrare etiam alias medelas nobis praesto esse ad corruptos locos persanandos a nullo unquam contemptas, in transponendis dico versibus personarumque notis commutandis positas, priusquam consultam cuiuslibet retractationem

accusemus. Quid enim? Si cui recte monuisse videntur illi, qui quum duplicem illam Epidici quaestionem v. 9 et 17 tum Thesprionis responsa diversa offendunt, quid magis sit consentaneum, quam alteram interrogationem Thesprioni tribuere, valetudinem alteram ad Epidicum referre? Nam nemo certe mirabitur, si Thesprio quoque conservi rerum conditionem quaeritat, nec fortuito fortasse Plautus v. 9 scripsit ‚quid *tu* agis? i. e. Nun will ich auch hören, was *du* treibst.‘ Quae qui probaverit, is priorem quaestionem cum insequente responsione (v. 9—12) secundo loco post v. 19 ponet, quo alterum illud dubium de v. 13 ortum commode infringatur, quum ita haud scio an nemo festinationis mentionem ut intempestivam serove factam perstringat. — Iam utram interrogationem, utrum responsum Epidico vindicabit? Illius rapinae neque ante nec post uno verbo tanguntur. Epidicus contra quae iam commisit, cum universo fabulae argumento tam arte cohaerent, ut non ineptum videatur concedere hunc ipsum magniloquum illud ‚rapio propalam‘ post fraudis novissimae proventum decere quam maxime. Nec mirum, si Epidicus fraudis iactatione pro hero susceptae ipsius recordatus extemplo interrogat: ‚Quid erilis noster filius?‘ Adscribere iam liceat versiculorum ordinem ratiocinatione nostra inversum atque vernacula lingua sermonis tenorem illustrare:

Epid. Di dent quaé velis.
Veníre salvom gaúdeo. *Thes.* Quid céterum? *Epid.* Quod coásolet:
Cená tibi dabitur. *Thes.* Spóndeo *Epid.* Quid? *Thes.* Me áccepturum, sí dabis.
Epid. Di ímmortales te ínfelicent! — Út tu es gradibus grándibus.
Nam út apud portum té conspexi, cúrriculo occepí sequi:
Víx apiscendí potestas módo fuit. *Thes.* Scurrá's. *Epid.* Scio
Te ésse equidem hominem mílitarem. *Thes.* Audácter quamvis dícito!
Epid. Quíd ais? perpetuén valuisti? *Thes.* Várie. *Epid.* Qui varié valent
Caprigenum hominum nón placet mihi néque pantherinúm genus.
Thes. Quid tíbi vis dicam, nísi quod est, ut fácies ostentát probe? [*Hasp.*]
Quid *túte* agis? ut valés? *Epid.* Exemplum adésse intellego.
Thes. Eúgepae!
Córpulentiór videre atque hábitior. *Epid.* Huic grátia.
Thes. Quám quidem te iámdiu edepol pérdidisse opórtuit.
Epid. Mínus iam furtificús sum quam antehac. *Thes.* Quíd ita? *Epid.* Rapioprópalam! —
Quid erílis noster fílius? — — —

Epid. Sei mir gegrüsst!
Mich freuts, dass wohl du heimgekehrt! *Thes.* Was sonst noch?
Epid. Was gebräuchlich ist:

Man kocht ein Mahl dir. *Thes.* Ich gelob' — *Epid.* Was? *Thes.* Dass ich's nehme, wenn *du's* zahlst.
Epid. Dass dich doch gleich der Kukuk hole! — Was du nur flinke Füsse hast!
Kaum fürwahr dich geseh'n im Hafen flog, ein Renner, ich dir nach —
Eben erst zur Not gelang es, dich zu haschen. *Thes.* Schwächling! *Epid.* Traun!
Du bist freilich ein gewalt'ger Degen! *Thes.* Gib's nur kühnlich zu!
Epid. Sprich! Wie hast du immer gelebt? *Thes.* Bald so, bald so. *Epid.* Diese So-und-so
Hass' ich, dieses bocksgezeugte, dieses Pardelhautgeschlecht.
Thes. Soll' ich nicht die Wahrheit sagen, wie mein Äussres sie verbürgt?
Aber du? Was treibst, wie lebst du? *Epid.* Sieh' mich an! *Thes.* Potz, Schwerenot!
Wohlgenährter, mehr behäbig scheinst du mir! *Epid.* Dank dieser hier!
Thes. Die du freilich längst bereits mit vollem Recht verwirket hast.
Epid. Weniger diebisch bin ich bereits. *Thes.* Wie so? *Epid.* Ich raube ungeniert. —
(**Nach einer kurzen Pause:**) Was doch macht unser junger Gebieter? — — —

25) Vide Homer. glossar. edd. *Lud. Döderlein* vol. I p. 1 pag. 84: ‚Hephaistos ist der einzige homerische Gott, der arbeitet, der sich bis zu seiner Ermüdung in seiner Werkstätte abarbeitet; wer von den Himmlischen ein Bedürfnis hat an Waffen, Schmuck u. d. a., wendet sich an den gutherzigen Meister etc.‘ — Non nos fugit *Rostium* in comment. Plaut. § 2 et Plaut. cuped. ferc. prim. p. 104 sqq. *Douzam* laudasse, quod Plautum a culpa incogitantiae et oblivionis liberasset, quam *Camerarius* et *Lambinus* ei attribuissent *falso rati* poetam facere Vulcanum fabricatorem armorum Achillis, quibus Patroclo caeso potitus esset Hector. Multo rectius *Faesius* in editione Hom. Il. ad XVIII v. 466 adnotavit ‚αὖτε wieder, wie auch die früheren, ebenfalls von Hephaestos verfertigten Waffen.‘ Ita vero nullo modo necesse est de Vulcani tripodibus nos cogitare, quum simpliciter versus ita interpretamur: *Epid.* Mulciber, credo, arma fecit, quae habuit Stratippocles: nam ut priora Achillis (arma) ab hoc fabricata ad hostes transvolaverunt! *Thes.* Quae si ita sunt, sine perdat: nam ita ille Thetide prognatus est, aliaque adportabunt Nerei ei filiae.

26) Cf. *Langrehr.* l. s. s. p. 16: ‚Neque enim illi ‚scutarii‘ Vulcano, qui antea nominatus est, repugnant. Ipsi sunt dei ministri, neque ullo modo mortales eos esse indicatur.‘

27) ,Quaerit *Reinhardtus* l. s. s., quid id sit, quod reticere velit servus modo omnem rem professus. Sed fallitur vir doctus: ad spectatores enim illa locutus erat Epidicus, quorum causa fabula agebatur, et ab hac certe recensione vix possunt illi versus abesse.' *Gz.* Cf. etiam *Langrehr.* l. s. s. p. 16: ,Re vera nondum omnia narravit, immo gravissima et periculosissima, quomodo Acr. liberaverit et ubi eam collocaverit, reticuit.

28) Cf. *Forcellini* thes. tot. Latin. IV p. 350: ,transmitto . . . . . translata est . . . . mandare, committere . . . . quibus addi poterat Virg. Aen. 3,29 Me famulo famulam Heleno transmisit habendam; quem locum Cort. laud. ad Lucan. 2,341 docens v. tradere et transmittere propria esse in hac re de concessis alii coniugibus.'

29) Id quoque cogitari potest Periphanis ideo mentionem non fieri, quod Epidicus personam eius non flocci facit: nam facillimum sibi fore putet hac quoque in re quovis consilio seni imponere, si rerum eventu cogatur; hoc autem consilium ne accuratius illustretur quemadmodum οἰκονομία fabellae arceat supra satis monuimus.

30) De universa quaestione cf. *Weiss.* Kostümkunde II (ed. 1860) p. 997 sqq. Quodsi supra diximus de Plauti quidem aevo certa documenta deesse, in *Ferrari* (de re vestiar. I p. 223 sqq.), *Santinelli* (diss. de discipl. et mor. femin. Rom. p. 143 sqq.), *Brissoni* (op. min. p. 6 sqq., 357), *Beckeri* (Gall. III p. 45, 138), aliorum auctoritate nitimur neque ea, quae in Paulyi Realencyc. sub Ἑταῖραι (III p. 1289) et *Forcellini* thes. sub Stola et Palla commemorantur, negleximus: unde apparet apud priscos poetas (cf. Non. 14, 6, ubi Enni fragmenta exstant, quibus stola ut Graece saepius pro communi veste et maxime virili accipitur, vid. *Ferrar.* l. s. s. p. 222, *Marquardt.* et *Mommsen.*, Handb. der röm. Altert. VII, 557; alio Enni loco sine dubio ad matronam pertinente — Non. 4,49 — de meretricum conditione nihil discimus) et Plautum ipsum nullum discrepantiae vestigium exstare uno videlicet loco excepto *Mil.* III 1, 196, ubi de vittis ut ornamento matronali agitur; sed ne huic quidem vincendi vis magna inest, quum, si stola pallaque in uno matronarum usu tunc erant ut postea, valde miremur, cur Periplecomenes Milphidippam ,ex matronarum modo' ornandam *vittis* induere a Palaestrione iubeatur, matronali *veste* — quod est ad fraudem potissimum — non iubeatur. *Stolae* igitur mentionem ut in Plautinis fabellis prorsus desideramus, ita *pallam* itemque *amiculum* quamquam diserte honestae mulieris vestimenta nominata (cf. *Ferrar.* I p. 237, II p. 137 sqq.) uxoribus meretricibusque promiscue tunc concessa fuisse multis locis firmatum videtur, cf. de palla Aul. II, 1, 48 (uxor.), *Truc.* II, 6, 55 (meret.), V, 5, 54 (meret.), *Most.* I, 3, 125 (meret.), *Men.* I, 2, 21 etc. (uxor. et meret., imprimis II, 3, 75), de amiculo *Cist.* I, 1, 117 (meret.), *Poen.* I, 2, 136

(meret.). — Quid mirum, si doctissimi viri inde efficiebant habitus discrepantiam recentiore demum tempore provenisse, cf. Paul. Realencycl. IV. pag. 1866 sub voce Meretrix: ‚*Seitdem* lex Julia et Pap. Popp. (anno 9 p. Chr. lat.) die Ehe der meret. und senat. verboten, wurden die meretrices ebenso infames gehalten wie die Kuppler .... und durften *deshalb* nicht die Kleidung ehrbarer Matronen tragen etc.' Sed cancellos illos iam multo ante stetisse Afrani illud ostendit (Non. XIV, 27) a *Beckero* commemoratum:

Meretrix cum veste longa? peregrino in loco
Solet tutandi causa sese sumere.

quocum ‚muliebria iura' compares, quibus maiores feminarum licentiam alligasse dicuntur a Catone maiore Liv. XXXIV, 3: an iura muliebria fuisse putemus luxuriem cohibentia, quae de meretricibus nihil statuerent? Conf. etiam Macrob. saturn. 1, 6, 13, cit. ap. *Marquardt.* et *Mommsen.* l. s. s. p. 557 annot. 3. Non praetermittenda vero est antiqui moris commutatio aliquot iam annis ante Plautum coorta — cf. Liv. X 31, ubi primum matronarum Romanarum mentio fit lenocinium profitentium —, ipsius autem aevo horrendum in modum progressa — cf. Liv. XXXIX, 8 sqq. —, ut mirum esset, si nec mariti neque uxores ipsae matronale decus utique munire studuissent: cuius corruptelae crebra vestigia in comicorum fabulis exstantia collegit *Beckerus* Gall. III p. 39 sqq., singularem autem vim Aululariae v. 471—528 *(Wagn.)* nullo modo pro spuriis habendis tribuimus, quod ad luxuriem quidem attinet. Cogitabant certo Romani laxius de rebus meretriciis, quam nos consuevimus, neque ipse Cato iuveni modicam Venerem exprobrabat; nihilosecius ne tenuissima quidem dubitatio esse potest, quin idem ille Cato prae ceteris caverit, ne matronarum honestas detrimentum caperet. Quod autem apud Plautum fere nulla inveneris rei vestigia, mirari noli: nam in communi comicorum ratione hoc positum est. Quod enim antiquiores illi poetae tam raro Romani cultus mentionem faciunt aut ita vestimentorum nomina usurpant ut Plautus et Ennius, hoc eo effectum videtur, quod Graecas fabulas in Latinum vertentes *formam, non usum* respiciebant, cf. *Santinellium* l. s. s. p. 149: ‚De palla et amiculo iniciat nemini suspicionem Plautus. Cum enim ille palliatas doceret, quamvis in ceteris Romanos mores depinxerit, aliter tamen non potuit mulieres suas, sive honestas, sive probrosas ornare, quum palla.' Ex Graecis a Plauto multa immutata recepta sunt; ceterorum vestimentorum nomina in Latinum convertens quemadmodum *usum* non respexerit, iam supra monuimus, idque eo minus offendit, quo manifestius est poetas non alia vestimenta in fabulis nominasse, quam quae spectantes re vera ante oculos habebant: auctores autem Graeco ornatu in scena usos esse si non utique constat, tamen in palliata vix iure negetur, cf. Paul. Realencycl. sub *Histrio* III, 1412, *Becker.* Gall. III p. 117, *Rein.* ibid. p. 148 sqq., *Hahnium* scen. quaest. Pl. p. 14 sqq. Contra quum certum

consilium moliebantur, non mirum, si Romanum habitum praeter consuetudinem subtiliter persequentes ad veritatem animum referebant, quod quum Mil. III, 1, 196 tum Aul. et Epid. tritis illis versibus palam fit. Et hac praecipue causa impedimur, quominus poetam *incuria* excusatum habeamus, qua ut aliis locis hic quoque — siquidem patagium matronis solis concedendum est — vestimenta sine discrimine commiscuerit.

31) Impugnat *Weissius* (Kostümkunde II p. 969) hanc *Beckeri* sententiam (Gall. III p. 139) ‚dass in der Hauptsache die Kleidungsstücke immer dieselben blieben und die Mode sich meistens nur auf die Stoffe und deren Farbe oder im ganzen nichts verändernde Accessorien erstreckt zu haben scheint' his verbis: ‚Eine *näher* eingehende Betrachtung des Denkmälervorraths indess lehrt aber sogar *unabweislich*, dass die spätere, griechisch-italische Mode (natürlich eben nur innerhalb der Grenzen des im Altertum überhaupt Allgemein-Üblichen) doch auch im Schnitt kaum weniger wechselte, als dies (bei gleicher Voraussetzung des Allgemein-Gültigen) gegenwärtig der Fall ist etc.' Non est, cur doctissimi viri iudicio diffidamus, idque eo minus, quod novum documentum inde haurimus sententiae nostrae tuendae. Quid enim? Habitus antiqui commutatio sine dubio ita est facta, ut primum quidem i. e. tempore illo, quo Graeci mores impetu quodam crebrescere coeperunt, — fuit autem hoc aevum Plautinum, ut supra monuimus, — forma tralaticia servata color materiesque immutaretur, postea forma quoque prisca neglegeretur. Atqui trito Epidici loco *unus color materiesque* tangitur, de formis inusitatis vix sermo est (cf. *Weiss.* l. s. s. ‚Und wie die oben angeführten Worte des Plautus — Ep. II, 2 — allerdings ganz besonders gegen den Kleiderschwindel der *Frauen* — auch wie wohl anzunehmen ist, hauptsächlich gegen die Verschwendung in reichen *Stoffen* — gerichtet sind......'). Ergo versus illi ad priorem aetatem Plautumque spectant. Nam mirum esset, si retractator posterioris temporis *formarum* vicissitudinem ne uno quidem verbo castigaret. —

32) De singulis nominibus quae singuli viri monuerunt, diligenter iam *Ferrarius* collegit l. s. s. I p. 238 sqq. simulque idem censuit, quod *Beckerus* in Gall. III p. 139 exponit (cf. praeterea *Weiss.* l. s. s. p. 962 ‚Die Namen selbst sind wenigstens dem damaligen Modesinn nach völlig unübersetzbar'). Ita vero licebit *Canis* quoque explanatione supersedere, de qua veste *Ladewigius, Naudetus, Weisius* mira excogitaverunt; nobis ipsis iamdudum *Laconum canum fulvi coloris* in mentem venerat, priusquam *Ferrari* libri nobis allati essent, qui si non a colore, a nomine quidem ‚canes Lacones et Laconici' vestimentum nominatum esse censet (p. I pag. 244). Cetera vestimenta quod magnam quidem partem ad meretrices spectare diximus, imprimis *colorem* monere velimus. Quamvis

enim iam Plauti aevo matronarum luxurie colorem quoque priscum atque decorum mutatum esse non improbabile sit (cf. *Becker*. Gall. III p. 160 sqq. et de plumatili II p. 243), tamen id aliquanto demum post in usum communem abiit (cf. *Rein*. in Paul. Real. IV p. 2519: ,die Frauen trugen anfangs ebenfalls weisse Gewänder, aber im 1. Jahrhundert der Kaiserzeit waren die bunten sehr häufig und zwar nicht blos bei Buhlerinnen, sondern auch bei Matronen'). Antea quin potissimum meretrices nobiliores — de scortis eorumque togis pullis hic non agitur — libertinaeque variis vestis coloribus aeque ac postea usae sint vix dubium est, praesertim si Graecos mores animo repetimus, quibus Romani hac quidem in re ut ovum ovo similes erant. Ut igitur poeta Latinus Graeco more in palliatis suis non infima scorta depingit, sed lepidissimas plerumque puellas, Silenium, Philematium, Adelphasium, quarum sermones honestae virginis amorem fidelem resipiunt, ita quid verisimilius est quam loco illo non sordidissima prostibula, sed elegantiores, ut ita dicam, meretriculas libertinasve, si mavis, notari, quales et posteriore tempore clarissimorum poetarum carminibus fervidissimis celebrabantur et a Plauti tempore minime alienae fuerint? Tales certe Plautus carpit, quippequae artibus suis luxuriae impensas venantes viros perdant, non velatas illas pullo colore, sed auro micantes et veste versicolori, neque est cur his nomina illa negata esse dicamus.

33) Id *Bagnatonem* cogitasse video (,Plaut. in seinem Verhältnis zu den griechischen Originalen' p. 12 annot. 39): ,eine Reihe römischer Frauenkleider (von *meretrices*) Ep. II, 2, 46 sqq.'

34) Iam liquet ,viros' v. 235 non praecipue pro maritis esse (*Wagner*.), sed loci ratione primum quidem universe dici, tunc ad maritos spectare *posse*, non *oportere*. — *Visseringius* antecedentes quoque v. 227—28 ad matronas refert (Quaest. Plaut. V. p. 96 sqq.), quare num sit laudandus, iam satis significavimus. Longius etiam *Weissius* est progressus, quum *mares quoque* loco tangi sibi persuasit (l. s. s. p. 962).

35) Haud scio an ita dispositis personis omnia, quae *Wagnerus* in Aulularíae ed. ad v. 471 sqq. pag. 129 de *Megadori* ratione doctissime rettulit, item de Periphane eodem iure dici possint.

36) Hanc *quin* particulae vim — τί μή Graecorum —, cui indignatio quaedam subest, habes sexcenties apud Plautum ipsum aliosque autores omnes. Id unum interest, quod plerumque ,quin' usurpatur, quum aliquis ab altero aliquid comperire gestiens retardationem moleste fert, hoc autem loco indignatio non tam servi narratione interrupta quam proxima mulierum castigatione commota videtur; quamquam non mirum si senex filii arcana cum festinatione quadam pernoscere studet, quam non nisi gravis res paulisper retardare potuit.

37) Post *Goetzium* *Sam. Brandtius* in nov. annal. 117 (1878) p. 385—89 versum 233 ἄμετρον merum additamentum quamvis vetustum esse voluit duobus ex versibus truncatis in unum confusum. Quomodocunque res se habet, non est cur eum nimis anxie tuteamur, quum sententia nostra et remoto et servato illo aeque sibi constet. Id unum nobis non liquet, cur versum *aliunde* intrusum putemus, non Plautinis particulis eisque Epidico propriis commixtum.

38) Contra sua ratione nixus *Langrehrius* l. s. s. p. 14 dicit: ,fortasse etiam II, 2, 109 (294 *Gz.*) versus multis ille lacessitus ex hac sententia potest explicari et defendi', quam sententiam iam affatim reppulisse nobis videmur.

39) *Reinhardtus* censet l. s. s. p. 105 necesse esse argentum prius dari, quam fidicina a lenone abducatur, unde sequi in praecedente versu 294 de abducenda ad Periphanem fidicina sermonem fieri non posse; male. Necesse enim esset — si vere hoc fieret — argentum prius dari, quam fidicina a lenone abduceretur, sed non necesse est iam in colloquio, quod hac de re inter servum senesque fit, hunc ordinem servari; nam quis offendat Epidicum post Apoecidis verba v. 294 caventem, ne res sine sua fraude perficiatur, quum marsupium occupet his verbis: ,Atque argentum cum hoc feram i. e. und ich werde bei der Geschichte den Säckelmeister machen'?

40) Cf. nostrum ,eine ganze Kuhhaut voll', quo vulgo quamvis copiam significant.

41) Usuram commemoratam (v. 54, 115, 252) Stratippoclem ex proprio iam ante solvisse v. 115 manifesto testatur, quo nihil nisi emptionis pretium postulat, eoque minus addubitari potest, quod fenerator ipse Athenas profectus praeter XL illas minas itineris quoque impensas in discrimen duxit. Quod vero *Visseringius* observat (l. s. s. p. 16) usurae illam mentionem v. 54 eiusmodi esse, ut non nisi risus movendi causa eam expressisse videatur poeta, quum ita post L dies fenus sorti adaequatum sit, vix dubium est, quin Plautus *ad suum tempus* illuserit, quo civitatem fenore laborasse Livius testis est (XXXV, 7). De altero loco *Langrehrio* suspecto v. 296—98 (287—89 *L.*) cf. supra p. 12 sqq.

42) Cf. *C. F. W. Müller.* Plaut. Prosodie p. 633: ,Wer zählt die plautinischen Verse, die verdorben sein müssen und denen ohne Gewaltthätigkeit, die aller Wahrscheinlichkeit entbehrt, doch nicht beizukommen ist?' Ceterum huc ea quoque refero, quae idem ille vir literatissimus de v. 485—95 (III 4, 49—59), 517—525 (III 4, 80—88) ob-

servavit (l. s. s. p. 634 in annot.), ita quidem, ut in v. 485 eum sequi dubitem. Periphanes enim, quamquam antea militis dicto confisus, servi fidi (v. 410 sqq.) reminiscens omnem fraudis cogitationem abicit: ,*Und doch* ist diese die rechte: hat's ja mein Sclave gesagt, der mich nicht betrügt und sie kennen muss.'

43) Hac in re *A. Spengelium* sequimur, qui primus re metrica adhibita singularum fabularum actus statuere coepit Epidicumque ita disposuit, ut supra indicavimus (p. 4 sqq.), vide ,Die Akteintheilung der Komödien des Plautus' p. 28; praeterea cf. *Schmitzium* ,De act. in Pl. fab. descr.' p. 22, *Hahnium* ,Scen. quaest. Pl.' p. 21, *Jacobum* in Epid. edit. 1835, qui simplici ratione idem fere monuerunt.

44) ,Sed longe felicissimum est Plauti ingenium in partibus servorum, neque ingenii celeritate, consilii calliditate et sermonum festivitate quod *Epidicum* Chrysalum Palaestrionem Pseudolum vincat quidquam novi. Unum Terentii Davum aeque laudo; ceteri ne comparandi quidem sunt cum illis.'

45) Non desunt vero, qui quum omnibus fabulae personis promiscue tum Epidico omnes fere sales urbanos abiudicaverint, cf. *C. H. Weisium* l. s. s. ad v. 25—28, 77, 166 sqq., 229 sqq., 585, 700, 703, 711. Non est cur rem accuratius tractemus, in qua certa iudicandi et adsentiendi regula iudiciumve neque insit neque unquam infuerit. Id quidem *Weisius* cavere debebat, ne manifesto somniaret, quod v. 703 — quo *filia* gnati *amicae* opponitur: ,Hab' ich dir nicht für die *Tochter* das Geld gegeben? und du kaufst die *Geliebte* des Sohnes!' — et nonnullis aliis factum esse videtur, in quibus damnandis vir ille doctus neque artis histrioniae rationem habuit neque recte aestimavit spectantium iudicia, qui certe nondum eo cultus atque humanitatis erant progressi, ut poeta non nisi urbanis facetiis cachinnum populi captare posset; immo vix dubium est, quin saepius ad genus mimicum abiens aceto Italico spectantes magis delectaverit, quam si ex omni genere urbanitatis leporem quendam libasset. Et poetam ipsum de talibus iocis non altius cogitasse ipsius Epidici v. 15 testimonio est, quo Thesprio conservi procacitatem exprobrans ,scurra's' exclamat, qua voce non ipsius Epidici tantum explicationem festinandi turgidam sed omnium promiscue comicorum servorum dicacitatem protervam suo verbo notari censemus. — Ceterum iam apud egregium illum atque ingeniosissimum nationis nostrae criticum, *Lessingium* dico, hanc ipsam ad rem pertinentia non pauca exstant, quae, si libet, suo loco perlegas (vid. ,Von dem Leben und Wirken des Pl.', ,die Gefangenen des Pl.', ubi in annotationibus nonnulla exhibentur, ,Kritik über die Gefangenen des Plautus', imprimis p. 119 sqq. ed. *Lachmanni* vol. III). Unum monendum restat:

cavendum esse iusto censori, ne fabulae urbanos sales abiudicet, in qua tam multas allusiones e rerum historia petitas invenimus atque in Epidico (cf. v. 25—28, 35—36, 54, 227—28, 234?, 522 sqq.), quarum explanationem temporum notitia destitutis historice persequi negatum est. Vide insuper *Vissering.* ‚Quaest. Plaut.' cap. II et III, p. 20 sqq.

46) Hac congruentia locorum quorundam minime cum *Weisio* (cf. quae l. s. s. ad II, 3, III, 1 et 3 *Bacch.* fabula comparata disseruit) ita abutimur, ut imitatorem Plauti divinemus, ubi hunc ipsum ut aliis quoque in fabulis similia eisdem fere verbis tractasse videmus; qua in re recentiores quaedam velut *Brixi* editiones fab. Plaut. uberrimam comparandi materiem diligentissime collectam suppeditant.

47) Vid. ‚Die Kom. des Plaut.' — Animi perversitatem *Weisius* ipse *Ritschelio Ladewigio*que, si quid video, exprobrat l. s. s. p. 109: ‚Merkwürdig dass gerade diese zwei Pseudoplautinen in neuerer Zeit auch zwei Pseudodiorthoten gefunden haben, oder dass zwei Gelehrte, die beide von gleich falschen Grundsätzen ausgingen, sich gerade die Bacchides und den Epidicus zu ihren Probestücken wählten.' De universa quaestione cf. *Becker.* ‚Vindic. fab. Rom.' in ‚Quaest. de com. Rom. fab. max. Plaut.' Lips. 1837.

48) Cf. exempl. gr. *Ritsch.* opusc. phil. II praef. p. VIII sqq., *Ladewig.* ‚Zum Epid. des Plaut.' in Annal. ant. scient. VIII (1841) p. 1079 sqq.

49) Vide Curcul. IV init. (v. 462 *Gz.*), de quibus *Weisius* ipse, quod nos quidem sciamus, dubium non commovit. Alios vero aut totam scenam aut singulos versus offendisse nos non latet, sed eadem, qua supra, religione adducti hanc quoque scenam Plauto servandam putamus; cf. Curc. ed. *Gz.* p. XXII.

50) Monendum est *Turnebo* poetam alio quoque loco eundem Pellionem tetigisse visum esse, Menaechm. dico II, 3, 35: ‚Quasi supellex pellionis, palus palo proximus est', cui doctus ille vir adscripsit: ‚Et in tentipellio sunt pali ad distendendas pellas: et de palis multis in taberna merces suspendebantur et domi supellex. Atque hoc de Pellione homine paupere dicit, cuius supellex praeter palos nudos nulla erat: quem etiam perstringit Bacch. II, 2' (v. ed. *Gronov.*). Qua in re si manifestius exstaret Plautum non de pellionibus promiscue, sed Pellione actore iocatum esse, Bacchidum locum vix uno verbo defendere necesse esset; nam alter altero ita satis firmaretur. Quamquam Turnebi opinionem nobis minus arridere non negamus; quam enim Bacchidum loco

Weisius inique vituperavit malitiam Plauto indignam, eam in Menaechmorum quidem versibus ita manifesto offendimus.

51) Potuit quidem Pellio (cf. *Ritsch.* par. p. 196, 252, 256, 336, *Studem.* ‚De act. Stich. temp.' p. 21) etiam cuiuslibet alius poetae actor esse; sed ceteris argumentis respectis etiam huic rei graviorem vincendi vim tribuere non dubitamus.

52) Sine haesitatione amplectimur *Ritscheli* sententiam scribentis (par. p. 351): ‚Quo in genere illud valde est memorabile omnino longe maiorem partem fabularum Plautinarum, quae quidem superstites sunt, provectiore aetate atque adeo ingravescente senecta poetae scriptas videri, ipsius iuventutis paucas exstare, longe plurimas olim exstitisse', ita quidem, ut priores illas ideo interiisse dicamus, quia ut minus perfectae simulque satis incertae interpolationis atque adeo suppositionis suspicioni iam Varronis tempore obnoxiores erant, quam quae aestimatori ingenuitatem suam credibilem reddere possent.

53) Cf. ex. gr. quae huc pertinentia in *Ribbecki* Alazonis censura *Burs.* Annal. phil. XXXI p. 94 sqq. a *Seyfferto* scripta exstant: ‚Das 3. Kapitel (der plautinische miles gloriosus) erörtert zunächst die Frage nach dem Verfasser des Originals ...... und nach der Abfassungszeit des lateinischen Stücks, für dessen Entstehung in einer *früheren* Periode des Plautus ein neuer *beachtenswerter* Beweisgrund dem Umstande entnommen wird, *dass der Dichter in den nachweislich späterer Zeit angehörigen Stücken die breitere Ausführung militärischer Prahlereien als ein sattsam behandeltes Thema ablehnt*......' Atqui miles in Epidico duobus versiculis exceptis (438—39) de virtutibus suis plane tacet: ergo in nostram partem argumentationem accipere licebit.

54) Idem fere si *Wagnerus* l. s. s. p. 34 ex aere militari concludi posse opinatur scribens: ‚Breviter addimus, quamquam quae *Ladewigius* de Epid. tempore disputavit iam stare non possunt, tamen uno loco probari Aulularium et Epidicum eodem fere tempore compositas esse, quem locum iam supra commemoravimus annot. 32; in historicorum tamen libris nihil invenimus quo appareret illo tempore saepius fuisse tributum negatum: id quod e comoedia sola discitur' quoc. cf. ann. 32 (p. 16) eiusdem dissert.: ‚Neque minus quae de milite aes postulante (Aul.) III, 5, 52 sqq. leguntur ad Romanos mores pertinent .... eadem vero res tangitur Epid. II 2, 43 sqq.' vereor ne non habeat, quo sententiam satis defendat, quum Megadori quidem oratio manifesto non nisi Oppia lege abrogata haberi potuerit, Periphanis contra cavillatio virorum rem familiarem cum meretricibus tam turpiter profundentium, ut tributum imperatum solvere non possint, cum lege illa artius non

cohaereat: nam tale aliquid omni tempore accidere potuit. Ceteris vero argumentis respectis non improbabile est ipsis illis annis Catonis repulsam insequentibus eiusmodi res famosas effrenata mulierum licentia crebriores esse coepisse ideoque a comico notari, unde Epidici diem natalem quodammodo conicere liceat; cum Aulularia autem, siquidem *Wagnerus* recte eam ad ultimam Plauti senectutem rettulit (l. s. s. p. 24, ed. Aulul. p. 129 ad v. 471), Epidicus connecti nullo modo potest.

55) Pseud. V, 2, 32: **Verum si voltis applaudere atque approbare**
Hunc gregem et fabulam, *in crastinum* vos voco.

Corrigenda.

Dum ultimas plagulas corrigo, duobus locis *iuvenem* esse positum pro *adulescente* comoediae (v. pag. 5 l. 7, pag. 6 l. 21) nec non *divinare* vocem ut verbum deponens saepius falso usurpari (pag. 23 l. 3, pag. 31 l. 11, pag. 41 l. 3, pag. 46 l. 21, pag. 47 l. 17) cum stomacho quodam serius animadverti: quibus mendis benigni aestimatoris precor veniam. Praeterea pag. 51 l. 2 pro *ratractatorem* lege *retractatorem.*

MAR 24 1903
MAR 2 1907